

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. H
8
56 B
24
ROMA

Digitized by Google

8.56.B.24

Digitized by Google

Digitized by Google

Ass. Provinciæ Germaniæ S. J.

HISTORIA

De

ANTIQUA SANCTA & MIRACULOSA

CRUCE

DOM. PROF. ROM. IHS V

QUÆ

In Templo SOCIETATIS JESU

Molshemii pro Veneratione devotè

asservatur

COLLECTA

In gratiam piæ Congreg.nis

sub titulo

AGONIÆ CHRISTI

SALVATORIS

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE

Operâ & labore

Cujusdam Sacerdotis ex eâdem

Societate

Anno M. DC. LXXI.

MOLSHEMII

Permissu Superiorum

Typis Episc. Arg. *apud* Jo: Henric. Straubhaar

Sumptibus CASPARI RÖSLER Bibliop.

Digitized by Google

BAZÆ corda fovēt ignes. quos credis in illis
Nutriri venis, lector amice, focos?
Divis igneſcunt flammis, ſacra p̄bula mētis,
Quæ pridem incendit religioſus amor.

Reverendiſſimo, Religioſiſſimo Patri, Ampliſſimo & Gratioſo Domino

D. BEDÆ,

Venerab. Monaſt. Sac. Ordin. D. BENEDICTI in Altorff

ABBATI

Domino meo Gratioſo

Proſperitatem & humillima obſequia.

Rev.mo Relig.mo Ampl.mo D.no D. Gratioſo &c.

HIſtoriam de ſanctâ & miraculoſa Cruce, quæ plures ante temporum centurias, religioſam coloniam, è Monaſterio D. Ottiliæ, olim in declivia

Digitized by Google

Montis Vogesi traductam, multis beneficiis perbearat; ex officina mea produco, R^me Præsul, ut sub nominis tui gratia, plurimorum commodo, & augendæ eorum devotioni, placeat, magisque fiat gratiosa.

Etenim cū argumentum illius, religionem & pietatem spiret, cujus promovendæ, exemplo tuo, ac indefesso studio, cum omnium approbatione, domi forisque insudas; per te audentius confidit commendari, qui rerum divinarum dulcedinem, usu longo, singulariqúe animi tui solatio degustatam, sincero judicio æstimare didicisti.

Accedit Infulæ tuæ splendor, quo inter septem Alsatiæ nostræ religiosa sidera, ex clarissimo D Benedicti Ordine, pervetustum S. Cyriaci Monumentum irradias, ut honor illius & gloria, per tot sæcula innubis & fuldiga conservetur. Et licet à Bellonâ tēpestates annis superiorib. concitæ, nobile illud religionis decus obscura-

re,

re, quin etiã everterein illis Cimmeriis tenebris attentarint; Te tamẽ novo oriente ſole, á tuis triſtiores excuſſæ nebulæ, prudentiâ & ſolertiâ tua reparatæ ruinæ, vultumque induit ſereniorem res ſacra, ac tota tibi ſubdita familia religioſa. Hinc nitor in ſacrario, florida in cœnobio diſciplina, vigor in Choro, in libris & ſtudiis, quibus tuos exerçes, vita & anima revixit. Quapropter ad lucem tuam, hunc meum, quem tibi ſubmiſſe dico ac conſecro, ſpero clarius à pluribus conſpiciendum libellum, ut ejus viſo themate, in amorem illius pertrahantur.

Demum ad aram crucis, quam hæc hiſtoria deſcribit, quidni appenderem gentilitia tua inſignia, quæ ignem amoris ſpirant, ſymbolum tui affectus intimi, in quo inhumanæ ſalutis unicum ſolatium ardenter ſuſpiras? Certé non alios hæc ſacra menſa requirit focos, quam quos in crucifixum, pius ſuſcitat, & fovet amor;

nec aliud hic gratius holocauſtum, quam cor purum & ſincerum, flagrans in amatum Deum. Quod cum ſubminiſtret exæſtuans tua charitas, patieris Reverendiſſime Præſul, ut huic imponam aræ ſacrificium, quod diu jam ante per te devotum eſt crucifixo.

Memini quoque, Anno ab Incarnatione Domini 1340. ad hoc ſanctuarium, in pietatis monumentum perpetuum, lumen indeficiens ſuſpenſum fuiſſe, ut ex hiſtoria, part. 2. c. 11. clarius liquet; quod cum injuriâ temporum ſit extinctum, & lychno deficiente exſpirarit, reverentia ſacrarii hujus, & mirabilium Dei arca prodigioſa requirebat, ut nova lux aliis excitaretur venis, quæ obſervantiam, & honorem ſuo ſplendore reſtitueret avitum. Vbi Reverendiſſime Præſul, commodé in manu tua vivam reperi lampadem, quæ ante hoc ſacrum pignus ignem foveat perennem, & ſuſpenſa revocet animos,

Digitized by Google

mos, ad contemplandum autorem fidei, & conſumatorem Ieſum. Hic vitæ liber eſt, & myſteriorum Dei: characteres ſtylo ferreo inſcripti, argumentum continent ſummæ charitatis, prævetuſtum quidem, ſed reconditæ & myſticæ doctrinæ, quæ ſtudium ad lucernam poſtulet, & vigilias multæ pietatis. Quare vicarium hoc lumen, pro exercitiis adeo religioſis accomodandum exiſtimavi, ut pluribus ad ſapientiam Dei addiſcendam in multa ſecula inſerviret.

Atque hæ cauſæ fuerunt, Reverendiſſime & Religioſiſſime Præſul, cur tua nomina & inſignia, huic de Cruce hiſtoriæ præfixerim. Vnum reſtat, ut ante cujus oculos Ieſus Chriſtus præſcriptus eſt crucifixus, amantiſſimis oculis eundem in hoc libello intuearis, meque pro affectu ſolito gratioſè foveas & complectaris.

Deus ter optimus, Reverendiſſimum & Gratioſiſſimum Dominum, pro bono ſuorum, pro am-

plissimi & S. Ordinis honore, ad annos plurimos sospitem conservet, ac tueatur. Ita voveo ex toto corde Molshemii 13. Octobris 1671.

Rev.mæ Ampl.mæ & Gratiosæ Dom. Vestræ

Servus humillimus & obsequentissimus

Caspar Rösler civis & Bibl. Molsh.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Ad benevolum Lectorem.

SCriptionis meæ argumentum primum de S. Cruce ſumpſi Amicè Lector, quod teſte S. Auguſtino, nil dulcius, nec ſuavius dici poſſit aut cogitari, quam Crucis Myſteriũ; è qua favus diſtillans mella fundit ſuaviſsima, & recreat omnes qui amaro ſunt animo. Semper ad hanc arcam fidelis populus in tribulatione reperit ſolatia, & graviora paſſus, inter afflictiones & procellas varias, gaudia, malorum lenimenta, eſt expertus. Hinc ſubcesivam operam libentius hùc converti meam, quod eſſet ad animi levamentum eo occupari labore, unde tot læti & uberes enaſcerentur fructus. *ſerm. 101. de temp.*

Accedit quod thema hoc de S. Cruce propoſitum, multorum ſeculorum antiquitate, & ſanctitate ſit venerandum ; ut proinde mereatur omnem induſtriam, quâ ejus memoria fuſiori calamo , animis poſterorum revocetur; ne quod ab aliis carptim, & quaſi digito levi, in ſuis tabulis fuit indicatum , paulatim intercidat, & penitus evaneſcat: ſi enim in rebus veterum Romanorum, aliorumque majorum monumentis accuratè cõſcribendis, ampliſſimi ſunt conſarcinati codices, ut ex eorum teſtimoniis, notis, obſervationibus, poſt multas tenebras darentur luci publicæ, quæ ad mores, ad res forenſes & bellicas, ad convivia , funera, veſtes; ad ſacra & ſacrificia ſubſervirent ; certè religioni dandum, ita horum temporum languere ſtudia, ut ea quæ alimenta Chriſtianæ pietatis, probata avorum inſignia , cœleſtium gratiarum fuerunt inſtrumenta, pulveribus obsita & quaſi ſepulta relinquantur. Quaſi vero

verò è prophanis, ad alendam in curioſis ingeniis eruditionem, quam è ſacris ad fovendam religionem, & mores ſanctos in mentibus fidelium, ditiores proventus haberentur.

Hiſtoria eſt de Cruce, miraculis clara, ætate temporis inprimis, obſervanda, pietate amabilis & colenda. Annorum ſuorum rationes à Magni Caroli Galliarum Regis ſeculo numerat; hypotheſin ab Hugone Burgundionum Principe & Duce, Conſiliario Regis intimo deſumpſit, cujus in aula caſus varius totius argumenti ſummam concinnavit. Multis temporum centuriis viva ejus memoria in monte viguit Ottiliano; nunc revixit in ædе ſacrâ Collegii Soc. JESU Molshemii; quæ ut perennet, laborem hunc meum accommodavi, præſertim cum plurimorum in hac patria ſuſpirent vota, ut ſtylo prolixiore tot beneficiorum, & divinorum munerum ſyntheſis conſcribatur, ad S. Crucis, cœleſtiſque pignoris amo-

rem in multam posteritatem studiose nutriendum.

Præterea cum indies piorum studia in cultum pretiosi hujus signi effervescat, ac illud crebris peregrè adventantium visitationibus, tùm ad devotionem, tùm admirationem frequentetur, mysterioſæ hujus imaginis vetustate obscura lineamenta, vivaciore calamo fuêre suscitanda, ut operi sua laus, Phidiæ Christiano commendatio, gloria Deo major debita concederetur.

Demum cum nobile hoc pietatis Symbolum, Societati nostræ fuerit concreditum, ut honor illius in suo vigore illibatus conservaretur, muneris nostri ratio postulabat, in eam incumbere operam, qua' pristinis suis ornamentis restitueretur. Animos ad hunc laborem addiderunt Alsatiæ nostræ chronographi; qui cum typis suis & scriptis pretium ejus ac nobilitatem (leviter licet) demonstrassent, ad interiorem ejus cognitionem

nem

nem inveſtigandam, ad periſtaſes illi annexas inquirendas, calamum pro officio excitarunt; ut quod hiſtoriæ Gallicæ obſcurum temporibus illis, teſte Vignierio in ſua Præfatione de rebus Burgundionum, reliquerunt, ex Patriæ noſtræ documentis, ex tabulariis Illuſtriſſimi Capituli Cathedralis Argentinenſis, ex ſcriptis autographis & probatis dilucidaretur. Habe ergo amice Lector opellam hanc meam, bona fide, & ex aliorum ſenſu ſcriptam, ac ſi quid minus probatum in ea repereris, non ipſi argumento ſcriptionis, cujus veritatem tota commendat Alſatia, ſubiraſcaris, ſed temporum injuriis, quæ ſuis revolutionibus, alia plura ejuſmodi præclarè geſta, involuerunt. Vale interim, & Crucem ſanctam ama, pie cole, & æternum vive.

Digitized by Google

PARS I.

De

S.ta CRUCE

In Templo Societatis JESU Molshemii.

DIſſerendum eſt in capite Hiſtoriæ hujus de S. Cruce, quænam ejus fuerint initia, & quaſi remotiora præambula anteceſſerint, ad nobile illud pignus, cœlitus exorandum, quo noſtra Alſatia, in pluri morum ſolatium bearetur.

Proinde agendum erit primò, de Origine & inſtituto Nobilium Virginum Cœnobii inferioris in monte Vogeſo olim conſpicui; de illius Congregationis diſciplina & integri-

tate

tate, de Sanctitate, pietatis monumentis illuſtribus, eximiis denique meritis, quibus ſibi nomen æternum coram DEO & hominibus comparaverunt. Succedet his, temporis obſervatio, quo tabulis ſuis exordia hujus S. Crucis annotarunt Hiſtorici, ut tota argumenti ſeries ordine ſuo diſpoſita conſpiciatur. Quare excurrendum erit in Caroli Magni geſta eximia, in faventis illius fortunæ blandimenta, aulæque ejus æſtuaria, quibus in his felicitatis variis acceſſionibus, ſubinde fuerat exagitatus. Claudet demum Hugonis Principis, & Conſiliarii Regii ſcena mirabilis, quàm ei in palatio maligna invidorum æmulatio appararat.

CAPUT I.

Origo, & Institutum Virginum Religiosarum Monasterii Niderburgensis.

VOgesus inter Germaniç Alpes nominatissimus, Alsatiam à Lotharingia disterminat, & instar propugnaculi munitissimi, circum secus ad plagam occiduam obvallat; insignium fluviorum felix, plurimos amnes, variis fortunæ casibus memorabiles, gremio suo effundit, qui per Alsatiæ mediterranea devoluti multis post se relictis in patria nominibus & commodis, in Rhenum se effundunt. In dorso suo, quo se extendit latius, multa sanctitatis trophæa sustinet, quæ ut majorum nostrorum præclara à vitæ sinceritate sunt encomia, sic posteris ad æmulationem viva supersunt documenta. Caput illius, nobile Alsatiæ decus coronat; à D. Ottiliæ illustri familia, & Virtutum splendore fulgentissimum monumentum; de quo sic vetus Poëta canit.

Ioannes Ruyr. de antiq. sacris montis Vogesi.

Mons

Mons Vogesus sumit Rhetica ex Alpibus ortum,
Et viridi costa, te quoq; Trevir adit.
Gallica Teutonicis qui separat arva colonis,
Et Mediomatrica mox videt urbis agros.
Ottilia in summo requiescit vertice montis,
Ottilia Alsatici, gloria, lausq; soli.

Stat in umbilico prædicti montis, clarissimum sacrarum Virginum sodalitio Monasterium, cujus nomen & famæ celebritatem multa secula in suis observarunt fastis. Fundamenta ejus, notant Historici posita, anno salutis nostræ DC.LXXX. à S. Ottilia, zelo piæ familiæ suæ propagandæ, & proximi juvandi charitate excitatum. Etenim cum pientissima Virgo usu & observatione notaret, ob montis altitudinem, & ascensus difficultatem, miseris & peregrinis, benefaciendi sibi subtrahi occasionem, essequè pauciſſimos, qui ad eleemosynam, ad quam præstandam, semper apertam habebat manum, concurrerent; Hospitalem domum, cum adjuncta pro divinis exercitiis sacra æde, suo extruxit sumptu, ut qui egentiores & advenæ, pro suis necessitatibus levandis, illuc confluerent, ad radicem fere jugorum illorum haberent unde facilius foverentur. *Gobwil:*

Adverterant hoc charitatis opus, multæ è suâ disciplinâ religiosæ Virgines, copiosum adferre fructum operæ, & plurima

charitatis exercendæ ſubminiſtrari argumenta; Quare cum numero ſuo, & perſonarum auctione, aliiſque neceſſitatibus, alumnæ ipſius 130. in ſummo illo premerentur vertice, à matre ſua precibus ſupplicarunt, utearum nonnullis, bona antiſtitis ſuæ venia, liceret in montis pedem commigrare, ac ſtationem deducere, ex eo vel maximè, quod in crepidine illius, aquæ penuriâ ſummopere laborarent. Placuerant, & juſta videbantur ſuarum ſodalium deſideria, Virgini ſanctiſſimæ; motaque interno aſpirante cœlitus lumine, coloniam illam admittendam judicavit, quo ſuis melius proſpiceret, virtutumque fructus accomodaret vicinis melius, jam ramis ſuis magis conjunctis. Itaque ſubtracta ſibi medio annuorum cenſuum portione, ſuæque novæ coloniæ aſſignata, è fundamentis ſumptuoſum ac prorſus magnificum templo ante conſtituto adjunxit & erexit aſceterium, in quo ſacræ Deo Sponſæ, ſub regula & inſtitutione S. Auguſtini, in omni devotionis ſtudio exercerentur. Ne vero hic ramus jam magis in declivia inclinatus, quidpiam à ſecularium fumoſitate terrenâ contraheret vitii; ipſa ſibi curam illius & inſpectionem habere voluit, ut de primævo matris Spiritu foverentur

Gebweil. cap. 7.

ſem-

ſemper filiæ, ſuoq; in vigore conſervarẽtur. Quapropter & huic familiæ dabat imperia, bona ſuggerebat conſilia, in adverſis pro ea materne ſtabat, docebat ut Magiſtra, omnibusque ita ſalutariter conſulebat, ut locum quidem mutaſſe, non tamen mores, non diſciplinam, nec vigorem & florem priſtinum avitæ religioſitatis abjeciſſe viderentur. Prætulit huic Congregationi maternum pedum, adjunctis curis, quibus occupabatur in Altitonenſi primævo domicilio, D. Ottilia, annis 53. itaq; prudẽter & feliciter, ut plena dierum & meritorũ, ſingulari animi ſui ſolatio, poſt fata ſua lætiſſimos laboris fructus, longæ reliquerit poſteritati. Vixiſſe autem D. Ottiliam cum prole ſua, ſub legibus & ſtatutis S. Auguſtini, multa adhuc quæ ſuperſunt in Archivo Illuſtriſſimi Capituli Cathedralis Argentinenſis, teſtantur Documenta, quorum exempla aliqua, quæ ipſe inſpexi, hic referre convenit, ac primum Fundationis inſtrumentum prębendæ S. Oſvvaldi ſic incipit: *Bruſchi. Gebweil.*

Elizabetha divina miſeratione Abbatiſſa in Nidermûnſter, Ordinis S. Auguſtini Argentinenſis Diœceſis ----- anno M. CC. LXXXXV. feria vj. poſt Præſentationem Beatæ Virginis.

Alte-

Alterum, quod litteras Cæſareas confirmationis Privilegiorum Monaſterii complectitur eſt ejuſmodi:

Carolus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Boëmiæ Rex; Religioſæ Agneti Abbatiſſæ Monaſterij in Hohenburg, Ordinis S. Auguſtini, Argentin. Diœceſis, Principi, ac devotæ noſtræ dilectæ —— anno Domini M.CCC.LIII. Indictione vj. ſeptimo Idus Novemb. Regnorum noſtrorum anno viij.

Demum tertium, quo venditionis bonorum quorundam contractus roboratur, hoc ſui exordium & Epilogum continet:

In DEI nomine, Amen. *Nos Suſan de Ratzenhuſen Abbatiſſa, totumq; Capitulum, Monaſterium in Hohenburg inferioris, Ordinis S. Auguſtini Argent. Diœceſis*; ad omnium & ſingulorum præſens ſcriptum intuentium notitiam cupimus pervenire &c. actum xvj. Kalend. Januarii, anno M. CCCC. XL.

Ex quibus facile ſcrupulus quorundam tollitur, exiſtimantium hunc pium cœtum, vivendi normam ac Regulam S. Benedicti fuiſſe primitus ſecutum. CAPUT

CAPUT II.

Vita & Sanctitas dictæ Congregationis, post mortem S. Ottiliæ.

CONsummaverat annos & dies suos, Antistes pientissima Ottilia, magnoque suarum filiarum luctu tumulo illata ; cum utriusque domicilii familia suo capite esset destituta, in eam omnes convenere sententiam, ut singulis ac separatis à se invicem asceteriis, sua quæque Antistita præficeretur, à cujus autoritate & directione, in omni vitæ sanctimonia confirmarétur. Erant autem sub eadem disciplina, sorores duæ Virgines, vere S. Matris suæ in vitæ puritate, vigore instituti, & morum sanctitate, æmulæ, Eugenia, & Gudelinda, neptes illius ex fratre ; quas cum non sanguinis tantum nobilitas, sed etiam religionis præclara studia in reliquis commendarent, omnium votis, altera Eugenia cœnobio in montis apice, altera Gudelinda, in ejus umbilico præponitur, ut in cognatis luminibus, virtutum splendor Ottiliæ, etiam post fata, conservaretur. Et verò aluêre constanter parentis suæ decus, genuinæ filiæ,

liæ, ut non tantum ſanctimoniæ ſuæ nomẽ illuſtre, in aris poſt vitam reliquerint conſpicuum, ſed etiam legis optimæ & ſanctitatis in ſecutura poſteritate perpetuum cõceſſerint nutrimentum. Nec alius operæ fructus ex ea ubertate ſpiritus majorum, decerpi poterat, cum omnis arbor bona, ſollicite exculta, in ramos ſylveſtres minimè luxurietur, nec alienas à radice prõgerminet vitis labruſcas. Quod porro quam verè cum jucunditate, & commendatione ſingulari, ſpectarint anni ſubſequentes, refert audire teſtimonium pervetuſti Codicis manuſcripti charactere Gothico, olim in Bibliotheca Carthuſiæ Argentinenſis aſſervati, cujus verba fol. 180. ea ſunt, quæ ſubſequuntur.

„Erat tunc temporis in inferiori Mona„ſterio, ſancta Congregatio ancillarum „Chriſti, Canonicè ſecundum antiquam „ſanctiſſimæ Virginis Ottiliæ Matronæ ſuæ „inſtitutionem, imo religioſiſſimam Or„dinationem, ſub imperio cuiuſdam Ab„batiſſæ religioſiſſimæ militantium. Hæ „omnes de mundo electæ, & caſtitatis ſi„gillo ſub arrhatæ, characterem beſtiæ ab„jecerant, nomenque ejus in imagine non „adoraverant; ſed nomen DEI ſui non aſ„ſumentes in vanum, adornaverunt cum

olco

oleo lampades, clamorem mediæ noctis
præſtolantes. Regem ſuum in decore ſuo
videre concupiſcebant, omnemq; gloriam
ſuam ab intus præferendo, lævam ſponſi
ſub capite habentes, amplexum dexterâ,
vigiliq; corda ſuſpirabant. Mulieres ſic
fortes quis inveniat? Enim verò hæ ſunt
virgines, quæ Domini ſunt cogitantes,
manum ad fortia miſerant; quare ſe, ſexum,
& ſeculum abnegantes, in patientia, victrici
manu triumphabant; gemitibus angelos,
cœlos fletibus inclinantes, regnum cœlorum, vim inferendo violenter diripiebant.
Huc uſq; calamus antiqui ſeculi, pie & laudabiliter de hac familia ſcribentis, dum
nullum aliud niſi virtutis argumentum, vita & fama publica illarum ſubminiſtraret.
Ex quil. patet, eximia integritatis in hoc ſacro parthenone viguiſſe ſtudia, præclara in
ſui victoriâ erecta ſtetiſſe trophæa, egregia
de mundo triumphato, animoſa fortitudine, in hac virtutum paleſtra conſpicua fuiſſe
inſignia, ut non immerito tam luculento
teſtimonio ſubſcribere cogamur, inculpatam omnino hanc Ottiliæ fuiſſe ſobolem,
vere æmulam perfectionis cœleſtis, ſpeculum abſolutum religioſitatis, & coronam
pulcherrimam Eccleſiæ militantis, quâ caput illius, qui paſcitur inter lilia, decoré

ex-

exornaretur. Et vero ſic ferre natura ſolet, ut generoſa ſemina, quantò minus ab ortu ſuo recedant, tanto minus à ſua præſtantia deſerantur, & doctæ manus archetypi eò cultiora deſcribuntur exemplaria, quo minori multiplicatione ex uno in alia derivantur; ita ſane hæc pia ſoboles, ad primas in ſe expreſſas acceſſit proximè virtutis præſtantioris lineas, quas aliena manus imperito labore & ſtudio, nondum in archetypo deformarat. Igitur cum omnium oculos & animos, in ſe converteret, tam exquiſitæ innocentiæ, inter clauſtra deliteſcens pulchritudo, ejus gratiâ illecta, undequaque nobilitas, mundum omnem, ac vanitatis abjecit gloriam, ut illius decore, ad ſolius ſponſi cœleſtis captandos amores, exornaretur. Multus eſſem, ſi in tabulas referrem nomina, & magna iis inſcriberem ſtemmata, quæ in Chriſti humilitate, & ſui contemptu in hoc Sodalitio elaruerunt; Satis ſit mihi, quod Gabriel Buccelinus in ſacra Germania ſua, parte ſecunda refert; in hoc Monaſterio, multis ſeculis, magnum Chriſti Virginum numerum, cœlis accreviſſe.

CAPUT

CAPUT III.

De veteribus in hoc Monasterio sanctitatis Monumentis.

MEminit Manuscriptum supra cap. 2. citatum, Hugonem Burgundiæ Ducem, Caroli Magni tùm temporis oculum, cum Principe sua Conjuge Aba, visitandi officio ad vestales illas se contulisse virgines, ut divina illarum exercitia, quæ longe lateque fama publicarat, venenarentur; ac postquam situm Monasterii, amœnitatem loci, fontium largitatem aliaque considerassent acuratius, maxime admiratos fuisse Abbatissæ frugalitatem, subditarum continentiam, canonicorum discretam religionem; & perpendentes omnia absolute in Deo, & propter Deum fieri; exclamarint affectu piissimo, moriamur morte istorum, & fiant novissima nostra horum similia. Ea semper vis esse virtutis solet, ut sui in amorem trahat animum, si ejus honestas in aliis spectetur, & descripta videatur in speculo illius gratia, quæ flocida semper, nunquam consenescit, ipsaque

mento, e per questo non si deve ammettere, che quando vuole, possa egli ritirare la sua promessa. Imperocchè se così fosse, non sarebbe più vero, che la promessa fatta da Dio sia ferma, e stabile, e che Dio sia fedele, e veritiero nelle sue promesse, e che non sia come l'uomo, che dice, e non fa, promette, e non mantiene. Ma se Dio non può ritirare la sua promessa, se la sua promessa è ferma, e stabile, e se Dio è fedele, e veritiero nelle sue promesse, come può dire, che Dio ritira la sua promessa, e che non è più fedele, e veritiero nelle sue promesse? Ritirare la sua promessa, e non esser più fedele, e veritiero nelle sue promesse, sono due cose, che non si possono accordare insieme. Dunque se Dio è fedele, e veritiero nelle sue promesse, come è certissimo, che lo è, non può ritirare la sua promessa, e se non può ritirare la sua promessa, è certissimo, che non la ritira. Il qual ragionamento abbiamo fatto per dimostrare, che non si deve ammettere, che Dio ritiri la sua promessa, e che non sia più fedele, e veritiero nelle sue promesse, acciocchè non si dica, che noi facciamo Dio simile a noi, che promettiamo, e non mantenghiamo, e che non siamo fedeli, e veritieri nelle nostre promesse, e che Dio ritira la sua promessa, e non è più fedele, e veritiero nelle sue promesse, come noi facciamo, e siamo.

CAPUT IV.

Sub quo Principe historia hæc acciderit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CArolus Pipini Galliarum Regis filius, Caroli Martelli nepos, Magnus à rebus, præclarè pro Deo, & Religione gestis, dictus: cum fortiter, & ubique fere feliciter per annos 47. tùm regni Francorum, tùm Imperii Occidentalis, strenuus moderator, rem Christianam promoveret ac tueretur; nominis sui gloriam terra mariqúe, apud gentes & populos, in Oriente, & sole occiduo fecit immortalem. Hujus dum meminit scriptor historiæ nostræ, brevibus quidem, at primis & omnino excelsis encomiis, eundem prosequitur ac commendat. Eo tempore (inquit) fuit quidam Rex Franciæ, potens & glorioſus; morum venustate non minus, quam divitiarum excellentia fulgidus: sceptri gloria, uxoris liberalitate, liberorum elegantiâ adprimè fortunatus: vir quoque totus Catholicus, ac Christiani dogmatis assectator, &c. Magna hæc nomina, virtuti

M.S. Angentin. Carth.

tuti illius & felicitati aptiſſimè competere, omnes fere ſcriptorum annales ſuffragantur, ipſaque poſt mortem adhuc ſuperſtes fama, è columnis, ſtatuis, pyramidibus proloquitur & atteſtatur. Quare merito hic calamus meus habet, quod ſibi congratuletur de tanti Principis reſuſcitanda memoria, à qua totius argumenti hujus ſeries & ordo dependet, cum illius pars magna fuerit, primaque ſtatuerit fundamenta. Ut porro à ſcopo propoſito longius non aberrem, neque incerta vel dubia ſequar, ab eorum veſtigiis minime recedam, qui in ſanctæ Crucis hujus antiquitate obſervanda, vel fuſiori ſtylo, juxta probatam eorum ab aliis fidem, laborarunt.

Eginhardus. *GobWeil:*

Igitur Carolus, à tot victoriis clarus, quot in Italia, Hiſpania, Francia, Pannonia, Saxonia de iis obtentis trophæa ſtatuit; illuſtris à religione ſincera, cujus opera, propulſata in Saxonia Idolomania, firmata & roborata ſedes Apoſtolica ſub Adriano & Leone, proſcripta hæreſis, & morum corruptela: cum in more haberet laudabili, ad eximia attentanda, magnorum virorum adhibere operam, quorum induſtria, fortitudine, & conſilio, celſiſſimi pectoris ſui conatus feliciter aſſequeretur, ſelectiſſimos quoſque ſibi adeſſe voluit, quos ab animi

Eginh. *Baron.*

mundus indigentibus non communicabit, quia non habet. Et ideo dicit Augustinus, quod Deus non dat omnibus omnia, ut unusquisque sciat se esse hominem. Indulgentiam. Ita Ecclesia, quæ habet potestatem ligandi & solvendi, dicit, Quæ solveritis, &c. Ecclesia regit Clementer. Ideoque Papa non debet uti potestate plenitudinis, sed moderata, ut dicit Bernardus.

Ecce in uno, ut exemplo, inquisitor Tholosanus, quid dicit, quid facit. Dicit, Papa non habet potestatem, Papa debet uti moderata potestate. Facit, quia ipse non habet potestatem, & Papa debet uti moderata potestate. Ecce quomodo Papa debet uti moderata potestate. Ecce quomodo Papa debet uti moderata potestate. Ecce quomodo

...ra, ne homines pro pecunia, quam acce-
...perint, ad ea, quæ contra leges fiant, ju-
...vare videantur. Ad hæc, ne quis ex ma-
...gistratu, aut in magistratu constitutus
...quidquam pecuniæ, præter id, quod lege
...certum est, capiat, neve ob rem judi-
...candam, neve ob eam rem, ut quid fa-
...ciat, aut non faciat. Quæ quis contra
...ea fecerit, capitis esto. Ceterum, ut
...Cæsar, qui ad hæc tempora, quæ nunc
...sunt, consulibus Decimo Junio, Mar-
...co Tullio, Cæsar, Lucio Cæsare, Cen-
...sore, Quæstore, Publio Sestio, Tribu-
...no plebis, Marco Bibulo, Ædile, Pu-
...blio Lentulo, Prætore, Gallia Cisalpina
...provincia, Quintus Metellus Creticus,
...Lucius Afranius, Gallia Comata, Gaius
...Julius Cæsar, Proconsules fuerunt, Ma-
...gistratus, Senatus, Populusque Roma-
...nus, ita, ut in singulis bellis, quæ hi
...Proconsules gesserunt, Senatus, Populusque Romanus, ita, ut in singulis bellis, quæ hi

ne Dominus Deus noster. Quando ergo Deus noster, & Dominus noster, & Rex noster, & Salvator noster, & Pastor noster, & Sponsus noster, & omnia bona nostra appellatur, & nos ejus populus, & oves pascuæ ejus, & Sponsa, & Ecclesia dicimur, quid aliud nisi Deus noster est? Ita dicit nobis Deus noster, & Dominus, & Rex, & Salvator, & Pastor, & Sponsus, & omnia bona nostra, & nos ejus populus, & oves pascuæ ejus, & Sponsa, & Ecclesia dicimur, quid aliud nisi Deus noster est? Quid ergo

CAPUT V.

Hugo Princeps ab Obtrectatoribus ſubvertitur.

ASſidua eſt eminentis fortunæ comes invidia; & plerumque obliquo eos intuetur oculo, quos gratia & virtus in aula ſublimes extulit: nihil enim moleſtius improbis, quam bonorum proſperitas, teſte Socrate; nec gravius illis in corde ulcus accidit, quam quod ſibi ex aliorum honorata felicitate exſuxerunt. Peſſimi cantharides & aranei, ex optimo tritico, & roſis nobiliſſimis ſuum ſibi venenum in perniciem propriam, & alienam bibentes! Experimento ſuo hoc didicit Hugo vir inclitus in Aula Caroli, & coram univerſa plebe gratioſus; ſiquidem ſingularis virtus, quæ illi favorem & amorem omnium pepererat, in animis malorum fel genuit, & amaritudinem provocavit: „Unde quod mali cum bonis, factioſi cum „juſtis, inquit hiſtoria, concordare non „poſſint, ſurrexerunt de palatio viri iniqui, „rubigine invidiæ, ab alienæ proſperitatis

feli

[illegible] [illegible] [illegible] [

vari, ut non Regis animus tantum in illo quieſcat, ſed etiam totius populi ſtudium, poſt illum ſequatur: ut enim vulgus facilè in varia diſtrahitur, ventoque levior ad has modò, modò ad alias partes ſe inclinat; pronum erit vel ad quemvis casum obviũ, & forte leviter conceptam offenſam, ut à capite ſuo, non ſine rei communis damno graviſsimo avulſum, unum hunc Burgundum ſibi pro Deo ſtatuat, ejuſque ſceptra veneretur.

Quapropter ut tanto maturè occurratur malo, in tempore ſuſpectum hoc membrũ à palatinis reſecandum eſt, priuſquam in perniciem totius aulæ, omnisq; reipublicæ ſolidius roboretur. Regis intereſt ad ſummam vocare deliberationem, quàm nimis ille unius hominis amor periculoſus ſit; quantæ ſeditionis incentor in unum effuſus favor; quæ ſemina flammæ ſub hac familiaritate veluti doloſo cinere lateant, in ignem erupturæ, nullo flumine extinguendæ: Noſtrum proinde erit cortinam removere, & pandere, quæ per Hugonem cudantur ſtrophæ.

Atque ſic impii in partes ivêre contra Vitum honoratum, ut eum dolo caperent, ejuſq; felicitatem, quam virt⁹ & recti amor ei pepererat, turpiter deformarent.

CAP.

CAPVT VI.

Accuſatio Hugonis de crimine læſæ Majeſtatis.

MAturuerant jam in malignantium animis invidiæ concepta ſemina, & quæ prava in Hugonem conſilia jam pridem foverant, ad partum proritabant. Quapropter obſtetricante malitiâ, patrocinante furore, fœtum ſuum adulterinum & monſtroſum, hoc palliato tegmine comptè exornatum, Regi propoſuerunt.

Rex invictiſſime, Francorum decus, Domine noſter glorioſiſſime.

Quam tua per univerſum orbem in populis & nationibus, à præclarè & fortiter geſtis inclaruerint nomina; tuaque ſceptra quam longè lateque, terrâ & mari, ad commendationem immortalem, ad hoſtium terrorem, bonorum ſolatium & gaudium, fulgeant, non eſt ut fuſa panægyri repetamus; ſiquidem ſtatuta trophæa, co-

columnæ erectæ, in Vrbibus, Provinciis, & Regnis, quæ tua imperia adorant ac venerantur, satis deprædicant, & liberaliter loquuntur.

Verum ut soli Orienti omnis applaudit natura, dum sereno vultu terras circumspicit fovetque; ita dum ejus splendorem maculosæ nubes obtegunt, faciem sublunaris creatura immutat quoque suam, alioque se avertit. Pari ratione, Rex Potentissime, Tua Imperii gloria, Tuus armorum fulgor, Tuum Coronæ decus eclipsin patitur, si honori Majestatis Tuæ, vel inspergatur macula, vel opponatur gravida Tempestatum prognostica nubes.

Et vero Regni Tui ampliſſimi res, ita in illum, prô dolor! statum pervenêre, ut nisi de iis tuâ prudentiâ mature disponas, in tui, tuorumque subditorum perniciem ac confusionem penitus collabascant: habes enim & alis in visceribus tuis malum intestinum, quod robur regni sensim ac sine sensu consumit: habes in palatio gravium tempestatum scaturientem fontem, qui si altius exundarit, in prægravidas evaporabit nubes, felicitatis Tuæ glorioſæ futuras tenebrosas noctes. Et si peroptas,

ut

ut omni ſepoſito ſchemate apertius loquamur; Noveris Rex Victorioſiſſime, tuum caput fatali ictu peti, tum ſalutem verſari in diſcrimine, tua ſceptra nutare, ac jam jam inclinare, ni mox evigiles, ut ſollicitius apprehendas. Rem ab ovo, fidis ſuis Miniſtris narrantibus, aurem clementiſſimè porrige.

Hugo Burgundus, quem hucuſque velut alterum cor tuum, tibi habuiſti conjunctiſſimum; quem quaſi in ſinu tuo condidiſti, omnium arcanorum tuorum inſpectorem: malè uſus benevolentiâ Regiâ, familiarem illam conſuetudinem, in tuum contemptum, in everſionem Celſiſsimi throni, in ruinam auguſtiſsimæ Familiæ, & divæ poſteritatis convertit. Communi plebis, & vulgi atro calculo, quem ſua fucata adulatione, noxiis & doloſis lenociniis, velut alter Abſalon, in ſua vota extorſit, fata Tibi ultima decreta ſunt, ipſe ut poſt Te Sceptra capeſſat, audiatque plauſu conſono populi, **Vivat Rex, Burgundus HVGO.**

Hæc ſunt, Rex potentiſsime, quæ ut in tempore exponeremus, fidei tibi datæ juramen-

CAPUT VII.

Hugonis captivitas & incarceratio.

PErculit regem hæc improviſa, & mali graviſſimi præſaga oratio; acuti tempeſtuoſus turbo per varios fluctus tollit in mari navim & deprimit, ſic turgida hæc malorum fabula, animos Caroli in motus dubios, & ſibi prorſus oppoſitos convertit: quod enim robur, in ea non fluctuaret intemperie, quæ ipſa ſubvertere nititur fundamenta?

Obverſabatur animo regio Hugonis hucuſque probata fides ſemper ſincera, & falli neſcia: revocabat ex optimis conſiliis, aſſiduis ſtudiis, laboribus indefeſſis, in bonum totius regni ſecuta emolumenta: recolebat vitam ejus inculpatam, famam integram, populi de ipſo ſenſus benevolos, præcones publicos fidelitatis. Contra vero, etiam altâ mente inſederat

In præcipiti, dubioq;
Excelſa loco ſtare Regis.
Nunquam placidam ſceptra quietem
Certumvè ſui tenuiſſe diem. Seneca trag. 8.

Aliam ex alia curam fatigare
Et vexare animos.

Eginardus. Infandum præterea renovarat dolorem Pipinus ejus, mala ſoboles parentis optimi, quem caput in ſuum auſu temerario, ſceleſto parricidio meminerat conſpiraſſe, ſuumque ſibi intimum, & chariſſimum ſanguinem, ad vitam & felicitatem ſuam opprimendam, procerum quorundam malignitate fuiſſe converſum : hinc ſuggerebât identidem exemplum peſſimum, ſuſpicioſas de Hugone imagines, periculoſam faciebat priorem confidentiam, amicitiam dubiam, quam ne in filio quidem ſinceram reperiſſet.

Accedebat demum accuſatorum autoritas, probationum pondus, jam aliàs ante, multivariè ſibi inſidiarum cuſæ ſtrophæ, aliaque innumera pro ſcelere intentato argumenta, ut merito irarum flamma in regio pectore ſuſcitata, ſinus ſuos egreſſa, in caput eruperit Hugonis.

Quare mox dato decreto Regio, dignitate ſua deiicitur, honorum ornamentis exuitur, à gratia Aulæ, Principum favore proſcribitur ; interque armatas vigilias ad infames carceres, ad reorum cuſtodias, per vicos & compita, obſtupeſcente populo, admurmurante invidia, inhonorus & Ma-

Majeſtatis reus, raptatur innoxius Hugo. O luctuoſam cataſtrophen quam Aula in ſcenam dedit! Hugo vir inclitus, ſanguine & familia clarus, autoritate conſpicuus, nominis & virtutis celebritate inter primos eximius, jam fabula fit omnium & opprobrium vulgi. Jam lucidum palatii quondam & ſerenum ſidus, in tenebras reconditur, ut nunquam hic lucifer oriatur & reſurgat. Migrat aulâ ejecta pietas, exulat integritas, pellitur veritas, ut dominetur fallacia, locum habeat adulatio, imperet ſcelus.

Fortis interea Princeps Hugo, & ad hæc fulmina minimè pavidus; erecto animo; lubens aulam valere juſſit, palatinos res ſuas ſibi habere, & ferre ſecum fortiter injurias, quas noverat in atriis Principum eſſe ſolere ſtipendia meritorum: nec conſcia mens recti ad has Jovis iras trepidare noverat, certa innocentiam minimè opprimendam, quæ Deo protectore innititur. foreque ſub hoc ſcuto ſecuram, licet

fractus illabatur orbis, milleque feriant ruinæ.

CAPUT VIII.

Hugonis Principis in carcere pietas.

JAm arcta claudebatur custodia Hugo, & oppressus delationibus malevolorum, ad justam sui defensionem, aditus omnes ei erant obserati. Itaque spe omni humana destitutus cum esset, ne prorsus concideret, ad divinam opem, ut aliàs, vir timens Domnium, solitus erat, se convertit, atque in preces effusus causam suam justa suadente fiduciâ, perorante conscientiâ, patrocinante pietate, coram senatu cœlitum sacro juri supremo dicundo commisit, gnarus ad hoc tribunal justitias judicari, nec dari locum inter hæc subsellia iniquitati.

Internos animi sui sensus, testes innocentiæ locupletes; mentis suspiriis, anhelis cordis gemitibus, deciduis in silentio lachrymis, hoc in judicio tantum optabat esse vocales; sed abundantia cordis multo dolore æstuantis, etiam linguam fecit esse diser-

diſertam: ſic etenim ſublatis in cœlum oculis ſupplex pro ſe oravit.

Magne DEVS, ſcrutans corda & renes omnium. Ecce Majeſtatis reus, regni ambitioſus inſidiator, populi ſeductor turbulentus, audiit hodie ſervulus tuus: ideoque me premuut hæc vincula, & regius ſatelles in funus meum circumſtat fores. Tu noſti intimos animi receſſus mei, & mentis ſecreta oculis patent tuis; ac equidem noſti vias meas non declinaſſe á juſtitiis tuis, nec in dolo aberraſſe à ſemitis tuis pedem meũ. Mundus ſum ab eo de quo accuſor ſcelere, nec ambitûs conſcientia me corripit, multoque minus mens impia in Dominum meum feralia concepit. Tuo ſcrutinio expono ſinus meos, & oſtia cordis ingredere O ſol divine, ac tuis inſpice & radiis luſtra, num ſimile monſtrum lateat inter carecta mea: atque ſi deprehendas; in lucem protrahe, & pande ſcelus, ut meritas pœnas luat: Quod ſi noxa deſit, nec crimen fœdet animum, ut confido, meum; adſis virtute de alto, & fer opem innoxio: non deſerat manus tua ſervulum, quem æmula felicitatis meæ oppreſſit invidia, eique ad ſurgendum ſuſtulit omne robur. Diſſolve vincula, & colligationes rumpe impiorum, quibus implicitus, ttahor ad injuſta

fata. Eſt tibi curæ juſtitiæ incolumitas, ſollicite provides æquitati: hinc mea ſpes, hos inter quibus agitor fluctus te anchoram apprehendit, & confidenter diſcrimen omne tuæ tutelæ credit. Infatua conſilium circumvenientium me, ne dicant, Deus dereliquit eum, fiatq; riſui juſti ſimplicitas.

M. S.

Hæc & his ſimilia, inquit hiſtoria, jugiter orans pernoctabat in carcere, ſpemque ſuam reponens in Domino, inter inſomnia referebat identidem ſua in Regem fida ſtudia, apertos animos, ſinceros ſenſus: exhorreſcebat ingrata aulæ ludibria; ſuſpirabat ad luctuosa in hoc theatro objecta ſpectacula, excutiebat Palatinorum intricata retia, ut liber in ſuis, & magis expeditus, ad obſequia ſe poſt hac transferret non jam hominis, ſed magni Dei. Ita ad quietem ſenſuum, cor viri probatiſſimi curas agebat vigiles, ut res ſalva ſtaret innocentiæ, & in deſperatis foret laureata.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT IX.

Hugonis Principis ad mortem condemnatio.

INterea abierant noctis ſilentia, quib9 cauſam ſuã in ſacra apud Deum urſerat curia, & gallicinium evocarat aurorã tragœdiæ ſecuturæ ſpectatricem: mox excit9 Hugo ad mali ominis præſagã vocem, ut primùm ſuſpexit lucẽ: jam, inquit, tempus eſt, & hora monet, ut mundo ſpectaculum futurus, ſcenam apparem, & prima tragœdiæ relegam argumenta: hodie tota de innocentiâ agetur fabula, ubi chorum ludet livor, & impietas epilogum avulſum à corpore caput meum; ſed mo ſolor tumulo, quòd ſuos in ſinus excipiet Dei & juſtitiæ piiſſima libella. Sic ominabatur viri prudentis animus, in quem tot mala conſpirarant, bene conſci9, à tot aſſurgentibus procellis decumanis, vel ſemel attritam. facilè abſorberi cymbam. Et ſanè rem attigerat, niſi vertiſſet auram Deus, & adverſantibus imperaſſet ventis.

Rex convocato ſenatu Procerum, in hoc arduo Regni & ſuæ Majeſtatis negotio, non tergiverſandum ratus; ad vota de Hugonis ſupplicio edicenda, Concilium ſupremum in unum juſſerat coire, ut tempori, pro comprimendis factioſis, juſta decernetur pœna. Convenerant in aulam Principes, officiorum aderant primi Palatini, regni columina & Heroës præcipui. Diſputabatur cauſa in utramque partem acriter; argumenta ad rationum momenta ponderabantur, criminis atrocitas, periculorum gravitas, probationum vis & pondus ad examen vocabantur: ſed quod malitia & impiorum dolus, aures & animos præoccupaſſet regios, pluriumque ſuffragantium calculos denigraſſet, de capite & ſalute Hugonis conclamatum fuit.

Quapropter autoritate regia, decreto firmato, ſententia promulgata ferali; Hugo hoſtis Patriæ, Civium proditor, regiæ Majeſtatis læſæ reus, ſecuri ſubjiciendus, & minuendus capite, in manus & jura transſcribitur ſpiculatoris. Quis crederet, etiam ſic pia quandoque ferire Regum imperia, ut ictu fallente, in caput deflectant innocentis! quis crederet errorem Principis, tantum in regio pectore generaſſe amarorem, ut minimè alio, quàm ſanguine

guine judicaretur dulcorandus! Sed ne triſtiorem diutius ſuſpendam ſcenam; ubi famâ innotuerat ſententiâ regiâ funus apparari Hugonis, nigra extolli pegmata, miniſtros fatales convocari: tunc omnis excita civitas, omnes concurrere populi, omnes in compita ſe effundere ordines, ut triſtem viri magni ſpectarent caſum: dumque tumultu plurimo ad ferale theatrum numeroſus & ſtipatus ſe contuliſſet ſpectator; ecce tibi, inter armorum ſtrepitus, inter fatale carmen ſonantes tubas, inter atratos ordines; pullo indutus ſyrmate, vultu venerandus, in ceſſu gravi ec modeſto, animo erecto & liberali, arenam ingreditur, Burgundiæ Princeps Hugo, ut ſuum propinet ſanguinem, quem toties cupierat vitioſa malorum in aula ſitis. Quem hic exſpectas Lector, in hac pullatâ cathedrâ Oratorem? quos arbitraris è tanti heroïs pectore manaſſe facundiæ rivos? Stetit hæc, in agone, columna olim Caroli, & obmutuit! Verùntamen frons, oculi, vultus, rupêre ſilentia, & liberos hos in affectus ſe effudêre. Itanè tam ſubito evanuêre quondam amici intimi, ut ne vel tenuis in hoc diſcrimine ullius mihi patrocinetur nmbra? Vbi gratioſus ille Regis oculus, cujus pupilla olim erat fortuna

mea?

mea? & nullas ad hoc tribunal clientem agnoſcit ſuum Patronuſæ! O varius & inſtabilis vulgi ſenſus, cui nuper patriæ columen, vrbium tutela, civium dicebar parnes, nunc cunctis excludor animis, & aridis oculis ſpector infamis reus. Sit mundo ſua fabula, & caſus meus plauſum excitet vanitati: ego valere jubeo amicos omnes; eſſe bene auguſtis ſceptris; nec ullis premi ſiniſtris fatis eos cupio, qui me inglorium aula expulerunt. Tibi CHRISTE vitam conſigno meam, & reddo quod juſtum debitum exigit, atque tuum eſſe Hugonem, lubens ſanguine ſubſcribo meo. Purpurata voluit pro me eſſe tua innocentia; ſi me canditatum, ut confidenter ſpero, agnoſcas, in purpurâ quoque, pro virtute & æquitate glorietur infirmitas mea. Hæc dixerat & conticuit.

CAPUT X.

Hugonis Principis miraculoſa liberatio.

EXclamat ad hæc hiſtoria, jam ſæpius citata: Ecce quomodo

moritur juſtus, & nemo percipit corde. Vir innocens tollitur, & nemo conſiderat. O quam ambitio cæca, & peſſima præſumptio! innocentia punitur, & gloriatur invidia; juſtus moritur, & rebus in peſſimis nequitia triumphat: aſpice Domine de ſede ſancta tua, quanta malignatus eſt inimicus in ſancto, & libera eum in manu potenti, nec contra eum, prævaleat adulator.

Depoſuerat interea funebria Princeps veſtimenta; colla ad ictum jam nudarat, velatis oculis, flexo poplite, in oratione ſuſpenſus, extenſam cervicem, ac jam ad demetendum paratam porrexerat: mox ſpiculator ſuſpenſo gradu à tergo accedens, enſem fatalem denudat, utrâque manu in caput Ducis ictum librat, ac jam conceptum impetum ex alto perurgere cœperat: ecce tibi, ſubito pavore correptus lictor; ô clamat, ô Viri proceres, ac cives univerſi, quæ meam vis improviſam manum retrahit! quæ ferientis iram, vox allapſa mihi, frangit & intercipit? quæ hæc auguſta ſunt imperia, ut gladium condam meum, nec ſanguine fœdem Principis? elanguit robur meum, & virtus omnis concidit; in caput hoc, neſcit amplius ſævire enſis meus. Ad hos inexſpectatos trepidantis ſatellitis

metus

metus obstupuit confusa turba, varioque murmure distracta, nunc in objectum ministri & flaccidum nimis animum culpam conjicere, nunc suspicios is ratiunculis occultam conspirationem arguere, nunc viri eximii autoritatem tam abjecta repellentem facta suspicere, aliaque pro opinionum varietate inter se argumenta mussitare. Vnde ne forte in partes, & tumultum abiret vulgus, mox jussis regiis, novi adduntur ferali ministro animi, minæ intentantur, obsequia debita ad rigorem exiguntur: at frustra præcipitata in illum ruit justitia, quem sustinet divina manus, ne corruat. Etenim cum omnis torperet ad feriendum innocentis jugulum spiculator, nec alius auderet temeritatis in se experiri discrimina; Rex animo turbatus, multumque sollicitus, ne sua riderentur moderamina, & hæc rebellionis intestinæ forent irritamenta; in hos irarum, & subitos curarum prorupit motus:

Ergonè Proceres jam nostra sic viluêre imperia, ut de grege etiam infames ministri ea respuant ac detrectent? Itanè hostem & virum perduellem dimittemus, ut in ruinam & eversionem nostram conservetur? Absit hoc grande fouere malum longius, ut in perniciem Patriæ confirmetur. Ca-

pue

put exſecandum eſt, & anima rebellis extrudenda, etſi hac regia manu ſpiritus immius ſit demergendus: atque ſi fugient dejecta ſatellitum arma punire crimen, vindex hîc meus rebellionis ſecabit ſtrophas. Teſtem commoti, & ſuos ad vindictam animantis animi, extulcrat Rex in auras gladium; at ecce de repente manus diriguit, totaque (pergit hiſtoria) flexibilis articulorum compages, in eam lapideam nodoſitatem contracta fuit, ut nec ferrum dimittere, nec brachium elatum potuerit revocare. Hic primùm commoti ſe collegere ſenſus, & prodigia in ſe facta, alia ſapere docuerunt. Vt enim inviſibili vinculo ſe nodatum animadvertit; jam, exclamavit, diſco præcipites in me longius aberraſſe motus, & metus evanidos, non niſi futiles generaſſe umbras. O! pium ſentio à ſcelere me retrahentem Deum, & meum è cœlo defendi Hugonem! Iam teſtem innocentiæ experior fidelem, manum meam & ſimul indicem præcipitatæ iræ. Mox ruat in amplexus regios Hugo meus, quem ſuperum tutela, contra perfidiam malevolorum, potenter protexit. Adſit heros inclitus, Deo dilectus, ut meritis votisque ſuis placet iratum numen, ac meo corpori reſtituat vigorem primum. Solutus itaque

Atque hæc prima hiſtoriæ hujus ſunt fundamenta, quibus ſubſequens rerum ſeries innititur, & crucis noſtræ miraculosæ relatio, veritatis ſuæ impoſuit ſtabilimentum. Non diffiteor, in vita Caroli Magni apud Eginardum Scribam regium, aliosque quos reperire potui, hujus tragicocomœdiæ non extare memoriam; verum cùm & ipſe Eginhardus, ſe non omnia Caroli geſta in ſuis annotaſſe chartis, in præfatione atteſtatur; ac thema hoc ejusmodi fuerit, quod in præclara ipſius Caroli facinora minimè referendum videatur; non ideo minus à vero recedit, quòd ab aliis neglectum, præſertim cùm Alſatiæ monumenta, quorum præcipue intererat, ob raros inde ſubſecutos eventus eadem in ſuis annalibus & faſtis accuratè annotarint. Hugonem autem Ducis Burgundiæ nomine inſigniri, mirum non ſit, cum is dignitatis gradus, non jure hereditario & perpetuo, ſed temporaneo, & ad favorem Regis Caroli pro meritis eundem affecerit, penes quem ſumma terrarum illarum fuerat poteſtas (ut ex Chronico Burgundionum Vignierii conſtat) per vicariam manum adminiſtranda. Porro num affirmandum, eundem eſſe Hugonem, quem Regino Comitem vocat de Turonis, ac lega-

ti munere á Carolo in Orientem ad Augustum missum, eorum judicio relinquo, qui Galliarum historias penitius sunt scrutati; sic enim Regino narrat: Anno 811. ad confirmandam pacem cum Nicephoro Augusto legati Constantinopolim missi (à Carolo) Haido Episcopus Basilienſis, & Hugo de Turonis &c. Certè personæ dignitas, & legationis momentum, ipsaque gratia regia, quæ virum sibi intimum & ad magna expedienda natum amplectebatur, vel ex hoc uno ad credendum facilè persuaderet

PARS II.

PRæmissa relatione de Origine, institiuto, & probatâ sanctimoniâ Monasterii Inferioris; sicut & recensitis iis, quæ ad Hugonis Principis fortunam variam in aula Carolina spectabant. Supereſt ut ea, quæ ad telam narrationis nostræ connectendam ex Chronicis Alsaticis necessaria, subjuungam.

Pro-

Digitized by Google

Proinde primò de munificentiâ regiâ in Hugonem, de hujus excelso animo & pietate: tùm de crucis sanctæ origine, de ejus miraculosâ translatione, cultu, devotione; de pretiosis in ea inclusis Divorum reliquiis, causis, aliisque eventibus: ac demum, interpositâ tamen totius historiæ chronologia probabili, de moderni temporis in Collegio Societatis Jesv Molshemii ejusdem sacri pignoris veneratione, agendum erit.

CAPVT I.

Munificentia Regis Caroli in Hugonem.

PRæclara sunt elogia viro-Principũ, Ivstitia & Liberalitate, suorum sibi devincire animos, ac nexibus non minus amoris, quàm timoris habere obligatos: sic etenim data suavius quo volunt, summæ autoritatis trahunt imperia, juraque suum ad quosvis motus rerumque casus, stabile & probatum pon-

dus habent. Noverat id ipsum Rex Magnus Carolus, unde hæc magna nomina; suis deesse noluit titulis, quin eadem inter primæ dignitatis suæ decora clarescerent. Certè iisdem plenæ sunt insignitæ tabulæ, & posteris amplissimè memorant historiarum typi : ex quibus vel unum hoc sufficiet, quod ad rem nostram facit, totumque scriptionis ordinem aptè connectit.

Recoluerat altius Carolus fidem ministri sui, & collata in rem publicam ab eodem merita enucleatius animo suo observarat: insuper integerrimæ famæ illius illata detrimenta; injuriosè in eum effusa probra, calumniosè conficta crimina non sine vitæ & fortunarum discrimine sapienti & accurato scrutinio examinarat. Hinc tam heroicæ fortitudini, ex tot detriumphatis malis, justa ei deberi præmia ratus, amplissimos pro injuriis honores decrevit esse conferendos. Quare maturo habito Principum consilio, justæque deliberationis argumento proposito; Quid, inquit, dabitur viro, quem Rex honorare desiderat? Quas error meus, & calumniantium perfidia, autoritati regiæ confusiones attulerit, ex falsis præjudiciis damnato Burgundiæ Principe nostis viri Proceres, & spectavit civitas universa. Quanto dolore meo ira-

ti in me Numinis prodigia ſuſtinuerim, & corrigentis paterna monita cum rubore exceperim, color in vultu, credo adhuc ſua nondum expunxit ſigna. Palmarem tulit plagam fidelis Hugo! Publicam notam excepit Princeps, nec aliâ, niſi regiâ eradendam manu: Quo veſtra Magnates inclinant mecum vota? nam Regem hodie eſſe profuſum decet, ubi innocentiæ decor, ad ſplendorem orbis, eſt illuſtrandus.

Placuit Principibus hic liberalis in Rege animus, ac laudato magnifico ſpiritu, non auſi anguſtis eum definire terminis, ſapientiæ illius, & pectoris amplitudini, omne magnificè agendi arbitrium commisêre.

Quare vocato ad concilium, ut congregatum erat, Hugone, Rex fronte ſerenâ & vultu placido eum ſic affatus eſt.

Hugo vir inclite, & Burgundiæ decus. Grave nimium vulnus maledica pectori tuo inflixit lingua, & credo adhuc hianti plagæ crudus dolor inſidet, ſiquidem cito gratia, tardius injuria ſeneſcit. Verumtamen virtus tua, præclara poſteris reliquit magni animi & fortitudinis documenta, quando gloriosè ferendo probra, te virum agentem fortia, & graviorum tolerantem exhibuiſti. Quapropter injuria injuſtè

nomini tuo irrogata, aliorum est infamia, laus tua, & gloria immortalis, ut verissimum illud habeatur:

Vtilis interdum est ipsis injuria passis.

Atque cum me quoque errantem abduxerit in partem, malitia aliena, tua vero ab errore innocentia, serius licet, revocarit; gratum nunc hodie tuum habeto ac liberalem Regem. Habes in manu tua dignitates, & regni titulos ampliſſimos: habes Provincias, Urbes & Imperia longè latèque clariſſima: habes proventus, tributa, census ditiſſimos: elige & ſuscipe beneficii munera, quæ hodie ad vota tua relinquit, & donat Rex Carolus virtuti tuæ generoſæ. Hic Princeps Hugo profundè Regē veneratus: ſi veniam verbo, inquit, largiris Rex invictiſſime: pro eâ quam in me munificentiſſima omnino profuſione conjicis, gratiâ, animum repono promptum ad nutus tuos: Et merita quidem, tam benevolæ clementiæ in clientem tuum, non agnoſco mea, cum omnia coronæ tuæ debeantur obſequia; verum cum amor, & magnus animus modum neſciat; cum tuo Hugone, duod lubet, age. Vnum rogo ne præceps ſim & minus fortunâ favente abutar, ſenſui meo vel unicam concede moram, ac quod clementiſſime imperas, audebo confidenter. CAP-

Digitized by Google

CAPVT II.

Hugo dona pia, & ſacras reliquias eligit.

HAbuerat Rex Carolus in in theſauris ſuis & delitiis, præcioſum ſibi ab Oriente Hieroſolymâ miſſum, argenteo ſcriniolo cuſtoditum munus, omni auro ſibi præacceptum. Obtulerat id Patriarcha ſanctæ civitatis Fortunatus, ut ex vita S. Hildulphi M.S. c. IV. colligitur, per ſuum legatum Monachum Diaconum, anno ab incarnatione Domini 799. additis precibus, ut à Rege Perſarum Aarone, tum temporis Aſiæ & Hieroſolymorum Domino, autoritate ſuâ, quæ apud eundem, ob nominis claritudinem, & potentiæ ſplendorem ſingnlari in æſtimatione habebatur; immunitatem ſepulchri Domini, & Chriſtianis in terrâ ſanctâ liberum religionis exercitium impetraret. Erant autem in hac arca, non gazæ Orientis, nec opes fulgidæ, ſed antiquæ pietatis ac religionis avitæ monumen-

C. 4.

Aventi: l. 4. de legat. ad Carolũ.

nis occasionem nactus, abruptâ longiore deliberationis mora, ingenuè suos in animo excitatos detexit motus: Vnde confidenter exorsus, sic inquit; Rex in æternùm vive. Quandoquidem serenitatis tuæ Augustissimæ benevolentia singularis, sinus amplissimos, & fontes uberrimos regiæ liberalitatis, votis meis aperuit ut fluant ad gustum Ministri tui; gratiâ tuâ iis fluentis utar, & irritatos affectus in suavitatem eorum mergam.

Veruntamen magna officiorum nomina, fastigia dignitatum, regionum administrationem, subditorum imperia: prædivites item census, redituum copiam, abundantiam rerum: in tuis habeto ô Rex, ac ipse omnibus salvus fruere: mihi illa minimè sapiunt: nec titillant animum, qui nec regna quæsivi unquam, ut ab iniquis arguebar nuper, nec bonorum affluentiam expeto, sorte contentus mea: Hoc unum postulo, ut sactæ Hierosolymis tibi allata pignora, quæ inter Dominici corporis, & pretiosissimi ligni portio, nec non & sanguinis, Domini esse non ambigitur, tuâ largitione accipere mereat, iisque ad devotionis meæ fervorem excitandum, liceat perfrui. Hæc sunt vota mea unica,

CAPUT III.

Prima Diligentia in recuperanda Proprietate in furtiua subtracta.

Virgilius delinquens Ro-
mæ, Neapolim fugit, ibique
tam medicinæ, quàm Astrologiæ

pourquoi Jupiter est toujours entouré de nuages, et pourquoi il ne paroît jamais que ses bandes. Comme Jupiter tourne rapidement, son équateur s'élève et les hémisphères méridionaux s'abaissent. Ainsi, la figure de Jupiter est celle d'un sphéroïde aplati aux pôles, et dont le grand axe est dirigé vers l'équateur. Les satellites de Jupiter sont éclipsés par la planète, et ils produisent aussi des éclipses de cette planète. Ces éclipses, observées par M. Roemer, ont fait connoître que la lumière emploie environ huit minutes à venir du soleil à nous. Les satellites de Jupiter, en projetant leurs ombres sur la planète, font voir que la terre est environ dix fois plus petite que Jupiter. Ils font connoître aussi la longitude des lieux de la terre, et ils ont servi à déterminer la figure de notre globe. Les éclipses de ces satellites ont fait voir que la lumière emploie environ huit minutes à venir du soleil à nous. Elles font connoître aussi la longitude des lieux de la terre, et elles ont servi à déterminer la figure de notre globe.

Saturne a sept satellites, et un anneau qui les environne. Cet anneau, vu de la terre, paroît tantôt ouvert, tantôt fermé, tantôt

cultum & reverentiam pegmate locanda, ut inde pietatis analecta ſibi colligerẽt; multo ex pretioſo periſtromate exornatũ ſacrarium, inter parietes domeſticos excitarunt, ibidemque nobile ferculum depoſuerunt, futurum mentis & ſpiritus ſui nutrimentum, in dubiis oraculum, ſolatium in afflictis. Nec ſpe ſua fruſtrati pii conjuges; ſiquidem cœlitum præſentia recreati, crebrioribus eorum affluebant delitiis, ſolaque nunc ſapiebant animis oblectamenta, quæ ex hoc ſacro favo ſugebant mella gratiarum. Itaque cum his ineſcarentur gaudiis, ſæpiusque abriperentur cœleſtibus modulis, quibus ſuaviſſimâ harmoniâ in Oratorio ſacris âpplaudebant lipſanis muſurgi Angeli, ſe totos in ſuorum hoſpitum effuderunt amorem, à quibus tanta roraret ſuavitas, & ſupera dulcedo. Quapropter pertæſi mundi illectamentis, omnem ſubſtantiam, ſuppellectilem, & facultates ſuas Divorum honori pro perpetuo anathemate transſcripſerunt, ut poſt futura fata, eorum beatæ conjungerentur ſocietati, ac meliorem in æternitate theſaurum reperirent. Vnum tamen in curis erat noſſe, quâ ratione reddenda forent cœlitibus munera promiſſa: proinde ad ſacram hanc arcam in orationibus proſtrati quotidie, pro lumi-

Gebvveîler in vita S. Ottiliæ.

ne, pro duce veritatis supplicauit, ne extra viam & voluntatem Dei erraret in officio deuotionis: Digni quidem, inquiebant, non sumus, nec nostra ferunt merita, quod exigua hæc tecta, ô magne Deus, succellerit, sed qui sub pellibus olim & tabernaculis habitare in deserto non es dedignatus, ne repellas famulos tuos, fed in orationem humilium respice, ut sis & perennes in loco isto. Hic admirabile nomen tuum inclarescet, ac te cooperante idimplebit propositum, quod gloriatur amplificandæ deinceps nostræ concepturi, ita precabantur jugiter ante faciem Domini, ut in agnitione voluntatis ejus, sapientia, & intellectu spirituali adimpleretur.

CAPUT IV.

Hugo Princeps pretiosam Crucem turat pro sacrarum Reliquiarum custodia.

NOn vanæ, nec irritæ fuêre preces amborum Principum; il-

Digitized by Google



Abriss des forderen theils des Vralten Heyligen Crucifixbild, in der Kirchen PP. Soc. IESU zu Molßheim.

1669.

Abriß des hinderen theils des Vralten H. Creütz, in der Kirchen PP. Soc. IESU zu Molßheimb. 1669.

Pet. Aubry sculp.



fiquidem lux ora eſt juſtis, & rectis cordæ lætitia; Eluguoni enim ut optaverat, datus fuit ſenſus ſapientiæ & ſcientiæ Dei; quo incitabatur ad erigendum monumentum, multis ſeculis & longe poſteritati memorandum. Fuit illud Salvatoris noſtri crucis ſuſpenſi imago: manu & ingenio artificis eximia, pretio dives, venerabilis ætate; quam ut deſcribam longius, rei ſeries & hiſtoria poſtulat.

E trabe querna atrabre polita, crucem ſer pedis altam cubitum latam, digitos tres duos profundam, apparari curavit, hujuſmodi dvitiarum ſuarum, & deſiderii amplifſima cordis ſui parturientis futuram aram. Totam ab extima & interiori facie bracheis veſtivit argenteis, opere laboriofo ita turgentibus, ut Chriſti redemptoris ſimulacrum ex arbore pendentis, totiusque vitæ illius myſteria præcipua, velut in ſpeculo compendioſe coomnibus radiis repræſentarent. A quatuor coronibus, divini amoris teſtes, ſymbolice eminentibus celaturis expreſſi quatuor, evangelia ſua aeveritatis ſignacula oſtendebant, auro & lapidibus pretioſis exornata. In medio arboris ſponſus ſanguinum auro fulgidus, expanſis utrimque brachiis, ad quinque amoris rivos totidem ſignatos fa-

phiis

phiris invitabat; cujus emblema profusæ charitatis incumbens capiti, pullis suis rostro pectoris ostia reserans, ex arbore descripserat Pelicanus. His aptè ex aversa fronte à quatuor extremis capitibus symbola respondebant legis veteris, quibus typicè, & quasi in umbra anterior charitatis facies depingebatur: Erant ea, Abrahami fidelis Patriarchæ, suum Isaacum immolantis studia: Botrus ubertatis ex alterâ, ac terræ melle & lacte manantis index: Operosus in torculari premendo solus occupatus ex tertia fronte cœlestis vinitor: ac demum in salutem vulneratorum, è ligno pendulus medicus serpens, crucis vivificæ genuina imago. In medio decussati ligni orbis argenteus variè auro aspersus protuberat, arcani tres inter personas divinas, de salvando per[illegible]ssionem homine habiti concilii mysteriola tabula; ad cujus dexteram, Patris Vnigenitus suffragiorum consensum in se conspirasse monstrans, illud in artis typo antiquum vatis oraculum exprimit: Ecce venio; in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: DEVS meus volui, & legem tuam, in medio cordis mei. Ex quo alia reparatæ salutis nostræ subsecuta mysteria, tùm à pede ad caput crucis, tùm

Psal. 39.

inter utrinque extenſa ejus brachia, argenteis ectypis concatenatâ quaſi ſerie fuère expreſſa; quæ omnia cum ex imagine ad libri initium lectori clarè ſubjiciantur, non eſt ut de iis hic fuſius diſſeram: unum tamen quod ad dexteram hieroglyphicum, poplite flexo armis indutum bellatorem virum, eccleſiam ſuſtentantem refert; cum arcanis ſenſibus ſit involutum, Chriſtiani œdipi conjecturæ relinquo: ſive enim ob hiſtoriæ filum Divum Petrum Eccleſiæ à Chriſto commendatæ dixeris fundamentum, & robur inexpugnabile; ſive Hugonis nobilis Principis pietatem, qua ſe ſuaque Deo & Eccleſiæ conſecravit; in obſcuræ imaginis detegenda veritate, non videberis multum receſſurus.

His itaque ſummâ induſtriâ & curâ abſolutis; ſacratiſſimam Chriſti Domini circumciſionis carnem, partem ligni Dominici & ſacri ſanguinis, cum aliis SS. reliquiis in interiore ſummitate crucis incluſit, ut hoc miræ in artis opere, ſanctitatis theſaurus pro decentia cuſtodiretur.

Interea Princeps, & nobilis virtutis conjux Aba, æmulata viri ſui chariſmata meliora, bibliothecam veteris & novi Teſtamenti multo ſcriptorum labore in uno collegit volumine; Evangeliorum quoque

legia

legis christianæ codicem alterum, demum Collectarum & exorcismorum, adjunctis in Ecclesia consuetis benedictionibus librum; omnes nitido charactere & polito conscriptos, in fronte rubricâ brasilâ erubescentes, à foris auro, argento, gemmisque pretiosis exornatos curavit; ut aureis hisce litteris vota sua, & Mariti Principis consignaret, gravissimâque sacræ Scripturæ autoritate, voluntatem suam ultimam roboraret.

Placuit divino amori, adeo magnificum sibi à familia Principe elaboratum opus, omnesque facultates donatione inter vivos transcriptas lubens adiit, quod corde sincero in ejus tabulas fuissent relatæ. Interim tamen quod piis testatoribus nondum esset in comperto, quo & ubi terrarum hocce munus Dominus recondi vellet; ne forte privatis sensibus quidquam concederent, aut favorem quendam, gratiamque humanam mercarentur, jactantes cogitatum suum in divinam providentiam, secretæ illius & justæ dispensationi reliquerunt, ut pro arbitrio locus, qui ei in aliis foret acceptissimus, tam diviti possessione dotaretur.

CAP.

CAPUT V.

Crux ſancta Camelo impoſita, divinæ Providentiæ in via committitur.

INciderat per commode Hugoni concilium Philiſtæn, quo jumentis bijungibus ductui ſuo relictis, ſacrum crediderant depoſitum armis á ſe quondam Iſraël violenter abſtractum, ut aurigante vi altiore fidelius ſuo Domino reſtitueretur. Quapropter ratus illud non fore à ſuo propoſito alienum, Camelo theſaurum jam Deo devotum imponere ſtatuit, at nullo ductore prævio, nullo urgente comite, eò quò divinæ alluberet diſpoſitioni transportaretur. Igitur crux pretioſiſſima, ad excludendas cœli injurias & itineris incommoda, thecâ munitur ligneâ; ſacri ſimiliter codices amplo clauduntur ſcrinio, ne quid ab aëris intemperie detrimenti eis obtingat. Atque ſic munita omnia 1. Reg. c. 8.

mnia, jumento ab habenis & duce libero, ex utroque latere æquali ſuſpenſa pondere committuntur, ut eó cuſtodita munera ferat Domino, quò illius magis arriſerit voluntati. Ne tamen felicis expeditionis deficeret teſtis, viros quinque genere & virtute nobiles adeſſe voluit, qui eminus veſtigia belluæ obſervantes, iis tam diu inſiſterent, usque dum inventa ſtatione peroptata, ab onere & officio pietatis ſe exſolviſſet.

Quare omnibus ad iter ſic comparatis, Principes pleni gaudio de inſolito ad obſequia ſua nuntio, ſpe erecti de optato rerum eventu, repleti ſolatio de perſoluto debito, lætũ ſibi, & abeuntibus fauſtum ſyncharma ſunt aggratulati: ac primò quidem tibi ô magne Deus, inquiebant, ſit gloria, cujus negotium hucusque in curis noſtris jam eum profectum fecit, ut brevi feliciter abſolvendum confidamus. Laudes perennent tuæ, quod ſapientia de cœlis ſanctis tuis, nobiſcum laborarit, ad intelligendum quod in oculis tuis fuerit gratioſum. Ecce opus quidem manuum noſtrarum, ſed tuæ intelligantiæ nobile inventum, ante conſpectum tuum, animato huic monti eſt impoſitum, ut illud probes, & læteris in

dono

dono tuo sit gratum celsitudini tuæ: & il-
lic pium suffrage anathema, ut suspensum,
nomen tuum cel ebret im mortale.

At vero, ni magni fceri hoiusce, custodi
die tuæ fideli creditum, cauto pede & gres-
su sustine, ne lapsu improvido commissi
violetur fanctitas, vel ejus decurpetur inte-
gritas. I, quo te divina fata vocant, & fe-
quere ductu boni Angeli, nec ullius occa-
sus malus te perturbet: I, per avia devia-
que, per saltus & nemora, per urbes &
vicos, & lingua sonora aris appensi collo
tuo, quare & interroga, habi sit requies
tua, & hæreditæ possessionis sacræ, quam
montibus circumfers tuis, diversetur.

Vos demum viri nobiles, fidi curarum
nostrarum comites, abeuntem in via hinc
nuntium fiducioſe obſervate: Iter non præ-
ceps sit vestrum, nec stimulis molestis præ-
vium urgere ducem: Hospes jejunus ne
affligat obsequii nostri bajulum, sed beni-
gnis ubique funeatur studiis, & impensis
nostris. Ineletis avibus, ac viis veſtras
signatis & acuratis notatas tabulis referet.
Ita sit magnanimi Principes.

His absolutis quasi ad eundum signo da-
to, Camelus generoso gradu, animosis
vultu, cervice erecta, jam dives auro & de-
corus magnifico legati nomine, tecta

ſui Domini valere juſſit, iterque ingreſſus, velut jam viarum peritus, & præſcius metæ ſuæ, per agros & ampla camporum ſpatia proficiſcitur; colles transcendit, in valles deflectit, nemora penetrat, viarum dubia declinat, rectoque tramite per urbes & caſtella, per vicos & oppida Burgundiæ, terminos regni Galliarum ac Franciæ ingreditur, urbe Pariſiorum ac ubique, ſuo æris tinnitu in feneſtras & compita ad mirabile ſpectaculum, ad inſolitum apparatum, cives & incolas evocat, ut digitum Dei, totius itineris thaumargum indicem, venerentur. Innotuerat jam ex comitibus peregrinationis hujus ſuſceptæ intentio, tota hiſtoriæ ſumma jam erat divulgata, & ipſa munerum pretia eximie commendata; quapropter ſuſpenſis omnium animis & excitatis affectibus, quisque hanc ſarcinam beatam, ad ſua invitabat tecta, exoptabat pro tutela & ſolamine eſſe in vrbe regia adornabatque pegmata, quibus hæc lipſana ad ſplendorem & gloriam ſpectarenrur. Verum etſi juſta piaque forent hæc animorum ſenſa, non tamen elegerat hîc ſtationem Dominus, qui jam ante aulam & potentum domicilia declinarat: proinde cœpto itinere, relictis ædibus magni-

ficis

ficis, & ſplendidè aſſurgentibus in urbe regia baſilicis, porro ſuam promovit Camelus ſarcinam, ut tandem in amicas extraderetur manus.

CAPVT VI.

Crux ſancta per Alſatiam ad S. Naborem appellit.

EFfuſus ſtabat in plateis & ad portas ſpectator populus, multaque admirattone confidenter abeuntem per ignota viarum obſervabat Dromedarium. Suſpiciebant tritas eundem aſſequi ſemitas, nec in latera declinare erronea, ſed rationabili ductu poſt ſe trahere animal viros, quos primos eſſe ductores opportuiſſet. Hinc attoniti ad hoc peregrinandi genus heteroclitum, ſeipsos hortabantur ad comitatum, ut legerent veſtigia, & ſpectarent adyta tam prodigioſæ pietatis; omnium vox una erat; paſcat nos, longius hæc grandis viſio, & quæ ſacraria ſit ornatura,

tura, hæc diva ſupellex, contemplemur; magna etenim ſunt hæc myſteria & divinæ ſapientiæ futura documenta. Sequebatur igitur à tergo religioſa juvenum, virumque turba, ac alios & alios advocabat, ut hujus novitatis epilogum intuerentur.

Interea ad limites Alſatiæ Camelus pondus ſuum promoverat, eosque ingreſſus per aperta agrorum æquora, per læta arvorum gaudia, aſpirantibus ſuaviter Zephyris, inclinatis etiam ad ſalutandum novum hoſpitem maturis ariſtis, effuſisque per campos paganis (Iulius namque ad demetendam ſegetem eos evocarat) ad montis Vogeſi altùm deſpectantis radicem, vultus ſuos convertit; feſtinoque greſſu, relictis obviè occurrentibus villis & urbibus, in pede prædicti montis ſubſtitit, ac ex longinquitate itineris reſpiravit.

Eſt hic vallis pratorum amœnitate, aquarum è præruptis ſaxorum venis leniter adlabentium, ſuſurro, arborum virore & denſitate amœniſſima. Ab oriente longa excurrit planities, læta vinearum fertilitate, & uvarum bonitate fœcundiſſima. Ab occidente prærupta Vogeſi aſſurgunt juga, quorum in crepidine celeberrimum ab antiquitate, & pietate divæ Ottiliæ Mauſolæum, in umbilico verò, ejusdem familiæ

liæ domicilium alterum, longè latequè conſpicuum aſſurgit. Ad auſtrum & plagam arcticam, proceræ pini, quercus annoſæ, variæque conditionis frondentia circumſtant ligna, ingenioſa naturæ ſchemata, & rara oculorum irritamenta.

In hac depreſſa naturæ jucunditate, ſua pagani fixêre mapalia, obſcura quidem, ſed à S. Naboris Martyris feſtivâ memoriâ, nominata: ſiquidem Eccleſia honori ejus ibidem exſtructa, & incolis celebrem famam peperit, & nomen poſteris ſervavit immortale.

Huc ergo cum veniſſet piæ ſarcinæ gerulus, quaſi veneraturus ſacri Martyris limina, in genua ſe demiſit, ſtratoque corpore ad vires reparandas conquievit. Murmur erat circumſtantis multitudinis, & non levis omnium concepta perſuaſio, hanc eſſe plebem, quam viſitaret Dominus, & cujus in medio erigeret cornu ſalutis noſtræ; in his viretis plantandam vitæ arborem, ſub cujus umbra conſiderent poſt labores accolæ, ac novæ felicitatis fructus dulciſſimos, in patriæ commodum colligerent diſtrahendos. Itaque de inſtituenda congratulatione feſtiva, de ſolenni apparatu comparando, de montmento

erigendo seria cives meditabantur consilia, & capita mutuosque sensus conferebant.

Verum quod altius hoc nobile trophæum crucis esset erigendum, resumptis animis jumentum post, quietem in pedes assurgit, excelsa vicini montis conscendit, semitam saxosam sequitur, suosque comites & spectatores ad novam in arduis spectandam scenam invitat. Iam medium summitatis per varios & multiplices anfractus superarat, biviumque attigerat, quod ad utramque sub D. Ottiliæ disciplinâ familiam, quà increpidine Altitonensi, quà ejus in umbilico considentem, accessum divaricat; & mox ad lævam se inflexit, iterque, quod limitanei indices ad nobile Virginum cœnobium inferiq, monstrant, suscepit. Hic jam suspensi ante turbæ sequacis animi, se dubiis suis evolvere, jam præsagire terminum mirificæ legationis; unde votis præviis benè apprecari, & ter beatum exclamare domicilium, quod tam divinis munetibus ditaretur. Interim fama moræ nescia, & boni ominis bajula, monuerat devotum Parthenonem, cœlestis sponsi adesse nuntios, ac munera ferre pretiosa, surgerent proinde in occursum hospitum, & lætum accinerent pæana.

Quo gaudio, quavè spiritus dulcedine

hic

hic Virginum chorus ad hanc præconis vocem inundarit: facilius prudens lector ipse augurabitur, quã fusior calam⁹ chartæ commendabit. Hoc exploratum, Deo dilectas famulas tam gratiosis spebus occupatas, ad omnem curam & solicitudinem, pro reverentia; ad omnem ornatum & splédorem, pro magnificentiâ comparandum se convertisse, ut Regem suum in decore & gloriâ adventantem, festivâ tectis suis inducerent solennitate.

CAPUT VII.

Crux sancta in Monasterio deponitur, lætoq; plausu excipitur.

RVmores qui prævolarant, piæ erant conjecturæ populi, nec firmis solidatæ argumentis, cum ab eventu penderent omnia: nihilominus cum nullum in latus hic hospes peregrinus decli-

naret, ungulâque ſaxo ceræ inſtar cedente (ut omnium in hæc tempora narrat & oſtendit traditio) ſui reliquiſſet veſtigium, tunc amplius crevit eundo fama, & formidoloſa in animis nata opinio, indubitatæ veritatis aſſumpſit robur. Etenim non procul. tam ſanctæ peregrinationis arguebant omnes abeſſe terminum, quem teſtimonio prodigiosè bullato, in petra ſub dominio Niderburgenſi conſignaſſet. Itaque læti comites de miraculo, ſecuri de indicio, de itineris mox ſecuturo epilogo recreati, ducem ſunm confidenter ſectabantur, usque dum alta religioſæ domus culmina, & ſepta ſanctitatis in oculos advenarum incurriſſent.

Hic Neoſtaurophorus præclara virtutum & pietatis contemplatus ædificia, primo novitatis objectu, attonito ſimilis ſubſtitit; mox longius progreſſus ad vavuas Monaſterii pede humum pulſat, oſtia annulo prehenſo leniter concutit, ad ingreſſum reſerandum, cuſtodem evocat, morâque ſuâ juſtitiæ portas ſibi aperiri expetit, electam hic ſtationem ac requiem habiturus.

Fuerat tum temporis, ſanguinis claritudine non minus percelebris, quam vitæ & virtutum integritate religioſiſſima Domi-

Digitized by Google

na: quæ ut inaudiit, jam aliàs fama decantatam, & divinâ autoritate graven, ad fores morari legationem; mox obvia hospitibus jubet pandi reppula, patere offitia, introduci gratiosa munera, & omni quâ par erat cultu ac venerstione salutari. Ergo quâ data porta ingressamus collectæ multitudinis Camelus, aream domus subterrat, obsequia sua venerabile Præsuli inclinata cervice defert, & quod perfunctus officio sui in hoc divino pignore exolvendo, servate fidei testimonium præstolatur.

Subsequebantur quinque viri nobiles, diserimium & laborum in via comites; succedebant undique accitæ adventæ, mirabilium Dei oscillati testes, & finceri per vicinam longè latèque diffusam patriam præcones; ita ut totum atrium coronæ pietatis exornaretur. Accurebant ad hæc festa hypapanthes gaudia, ex oratoriis suis rei novitate excitæ, Deo sacratæ virgines, insolita stupebant in Vogelo comparuisse prodigia, & novæ amoris divini tam teneræ subministrata cœlo argumenta mirabantur: proinde omnium hæc summa votorum erat, mox sibi evolvi mysteria, & revelari tam pia sacramenta.

Ergo sedate & prudentiæ commendatione, è comitum numero maximè conspi-

cuus

cuus, ut vidit totam in exſpectatione hærere concionem, & animos inclinatos ad intelligendam Dei arcanam ſapientiam, ſic exorſus eſt: Venerabilis Domina, magnæ familiæ Antiſtita nobilis, Ordinis tui decus: Hugo & Aba conjux ejus, clari Burgundiæ Principes, Domini noſtri clementiſſimi: cœlo auſpice, animo liberali, conſenſu mutuo, facultatum ſuarum ex aſſe hæredem ſcripſerunt cœli Regem. Arbitrium poſſeſſionis adeundæ, tabulis ipſius & calamo ſcribæ á ſecretis illius intimo, reliquerunt: hinc per avia deviaque, per varias ambages & ſcrutinia confectum ſusceptæ donationis inſtrumentū, ad fidem donantis liberandam, inquirimus. Erravimus hucusque per dubios viarum flexus, hoc ductore, & religioſæ ſupellectilis cuſtode; nec tamen alius pro donis hisce, ut ſibi debitis, competitor intercеſſit, licet urbibus & populis proclamarentur.

Quapropter cum bono Angelo præeunte, in hac arce ſanctitatis nuntius hic explorator, pedem ſiſtat, firmetque ſtationem, hæc pia religionis munera ad veſtra ſpectare nomina, agnoſcit. Nunc ergo divini favoris arrham tuis admitte tectis, & lætis animis amplectere beneficia, quæ te tuamque familiam perbearunt. Susci-

pe

pe augusti pretia, quæ multo ære, generosioreq; virtute, in perpetuum pietatis indicium, ad vestram & christiani orbis attendam devotionem nostri Principes compararunt. Sunt amoris symbola, documenta religionis, fomenta pietatis: Vos aris imponite, & jugiter sustentate.

Atque his dictis mox omne fuit jumentum liberavit, solutaque arcæ custodia, crucem auro gemmisque præfulgidam, ad novum Salomonis thronum salutandum devehunt. Hic omnis fuere ceremus stupefactæ splendorem, mirari gratiam, per gaudio exultare, ampleCti charitatis insigniis, multaque animi demissione in jura sua & sacraria suscipere tam suavia charitatis fomenta. Atque ut majori pompa & festivo plausu, pro dignitate in censum divorum pignorum adcriberentur, ex templo nobilis familiæ Præses, ad solennitatem, omnem conciret operam: ad officia debita advocat: & in varia studia imperio suo compellit: ut decens honoris apparatus instruatur.

Itaque sacræ basilicæ referantur ostia, patetes divite perfitromate restituuntur, incendiuntur fundis, ereantur thura, straahuntur æra campana, in ordines cogunturadvenæ & incolæ; dispositisque ad ho-

norem publicum magnifice celebrandum
singulis capitalibus labaris, inter hymnos
& laetissimum sonum, prodigiosum cunctis fi-
lalethum lipsanotheca venerabilis, una
cum aliis pretiosis muneribus, subsequen-
tibus devoto agmine sanctimonialibus, ad
templi adyta deportatur; & novum reli-
giosi tatis fulcimentum arae Principi impo-
nitur, jugi post hac memoria, & picturae
colendum. Tunc organis & chotis eu-
charisti Deo sunt decantata carmina, co-
piosis pancyri repetita fuere benedicti: ac-
clamatum fuisse Burgundiae Principibus:
bene dixere vota fecundis, ipsis nuntiis;
bene omnibus, qui hoc asylum in presla-
tis & adversitatibus sint revisuri.

Peracta festivitate, legati bona precve-
nerant de Domine, ad sua redire, ut quae
venerant Dei magnalia, pro officio suo
edocerent Principes: instruentesque qui-
bus ritus thelis, sua antea non gloriosa
spectarentur. Eandem portovium jumen-
tum relegere noluit, contemptique alio-
rum ad urgendum pro abitu conatibus,
sanctae congregationi dies suos
& officia conservavit.

CAP.

CAPVT VIII.

Chronologia Hiſtoriæ.

QVod Thales Mileſius, in ſeptenario ſapientum ordine non poſtremus, ſciscitanti reſpondit; omnium in natura rerum, tempus eſſe ſapientiſſimum, quod omnia inveniat: Id mihi in materia maximè dubia, ab ejus autoritate eſt petendum. Etenim, cum annus hiſtoriæ hujus, quam hucusque diduximus, ſit involutus, magnumque pondus illius veritati adjiciat, in illum evolutis temporum momentis eſt inquirendum.

Manuscriptum ſæpius citatum, diem indicat nonum menſis Julij, ubi ait: Acta autem sunt hæc circiter 7. Idus Iulij, qui dies ex hinc usque in præsens in summa veneratione ibidem (in Monaſterio Niderburgenſi) cepit haberi, & annuis decurſibus continua lætitia renovari: dies ſanctificatus; dies Domini, dies in quo ſalus domui huic facta eſt, & vidit ſalutare

Dei

Dei, suscipiens benedictum, qui venit in nomine Domini. Et hæc quidem de die; anni vero rationem præterit, nec fuis in tabulas retulit, quod forte tum temporis esset satis famosus, minusque obscurus: Verum eam ipsa antiquitas lenio evanescere, necnam illustris sui in orbi suo, quin tandem tenebris obumbretur; hinc minus posteritati consultum fuit, annalibus excidit, unde majorum gloria, & prætitutorum memoria recolleretur.

Quâ de causâ multum indolet Joannes Schurtenheimer, vir gnavus & acutus scriptor in vita S. Ottilie, talis fuis hunc annum, ob defectum, & minorem observationem temporis, inseri non potuisse; licet id de veritate rei gestæ nihil detrahat, cum alia his majora, Dei veritate & ope thaumaturgâ acciderint. Quare operæ pretium erit accuratius in hujus historiæ chronologiam inquirere, ut saltem ex rationibus verisimilis probabili conjectura, in certum calculum ea colligeretur.

Ita quo primi totius narrationis fontes sunt inspiciendi, è quibus folis jam pridem omnium revolutiones annos computerunt. Unde inprimis illud observandum occurrit, ut luitra & ætates revocentur in numeros, quibus Magnus Carolus jura dixit populis,

Provinciæ Coloniæ

pulis, & clarus imperio nomina dedit calendis : ſic etenim & olim Romanorum faſti à Conſulum ſplendore in temporis digerebantur ordinem , ſuaque monumenta hac purpura ſubſignabant ; quaſi fugientis temporis veſtigia, non alia fideliore, quàm hac rubrica forent exprimenda. Itaque hic annus à Caroli ſceptris notandus erit, quæ vel regali Franciæ coronâ, vel imperatoriâ potenter geſſit.

Conſtat autem ex Veterum fere conſentientibus chronicis obſervationibus , Carolum defuncto poſt bellum Aquitanicum Pipino parente , ad regni Franciæ gubernacula admotum eſſe , anno ab incarnato verbo 768. eaque ſub regiâ poteſtate feliciter direxiſſe, usquè dum flueret annus Chriſti 800. vel ſecundum alios pro diverſitate calculi inchoantes Redemptoris annos 801. quo Imperii Occidentis ſplendor & nomen ad regiam ejus dignitatem acceſſit, ut hac illuſtri ſyzigiâ, geſtis & rebus illius obſervandis , meridianum quaſi lumen è ſolio excelſo diffunderetur. Quibus poſitis, duo pro comperto habentur juxta fidem hiſtoriæ noſtræ: alterum quidem, Hugonem Carolo ut regiâ tantum Franciæ coronâ conſpicuo, de crimine Majeſtatis delatum : alterum, eidem ut Galliæ fortiſſi-

mo gubernatori, ſacra ab Oriente obtigiſſe munera, quibus Hieroſoiymæ, virtuti ejus regiæ ad auxilium impetrandum blandiebantur: ſic namque utrumque Gebvveiler, Schuttenheimer, Ioanues Ruir, & ante hos omnes M. S. biblioth: Carthus: Argent: memorant; ac ſignatim de ſacris lipſanis Aimoin9 l. 4. c. 89. de geſtis Fran. addens Franc. tunc Regem Aquisgrani natalem Domini celebraſſe; Regino item, Æmilius Veronenſis, Baronius aliique anno 799. miſſis atteſtantur, quo nondum imperatoria claritudine præfulgebat.

Ex quibus illud conſequitur; diſſidium inter aulicos regios, Hugonis præcipitatum judicium, aliaque in ea ſcenâ tum peracta, intra annum octingenteſimum vel octingenteſimum primum, ſpectata fuiſſe, priusquam à Leone III. Pontifice Auguſtus proclamaretur.

At vero aureum Crucis opus, ejusdemque prodigioſam translationem, anno octingenteſimo ſecundo vel tertio circiter, probabili ratione eveniſſe conijcimus; tũ quod temp9 aliqoud privatæ pietati Principum ſit concedendum, quo in ſacrum theſaurum affectus ſuos effunderent; tùm quod artifex opera in illo ſimulachro non præceps & impolita, multam induſtriam exhi-

exhibeat, longo & procul diſſito ſacrario reponendam.

Accedit quod Iacobus Wimphlingius, in Sacra Theologia eximius, & ſincerus in ſuo Catalogo de Pontificibus illuſtris Eccleſiæ Argentinenſis, recenſendo, tradat, hanc S. Crucem ſub EDELINDA ABBATISSA ejusdem Monaſterii, Abbatiæ ſuæ anno vigeſimo ſecundo, ſub Imperatore Romanorum Henrico quinto, anno regni ſexto, REPARATAM ESSE; ideoque concedendum, pignus illud nobile, vetuſtæ eſſe antiquitatis, ac longe excedere annum 1197. quo pietas Edelindæ Matronæ, ſanguinis nobilitate & virtutum excellentiâ clariſſimæ (ſic enim Bruſchius eam deſcribit) ad detrimenta ex conflagratione Monaſterii reſarcienda incitata fuit; utpote quod merebatur integritati ſuæ reſtitui, à quo jam diu ante, tot gratiarum cenſus pendebantur. Adſtipulatur ſenſui noſtro pervetuſta Cruci olim appoſita inſcriptio, quam Wimphlingus & Bernardus Hertzog in hiſtor. Argent. referunt verbis, ut ſequitur: Eſt ibidem Crux ex laminis argenteis non parva, in qua eſt inſcriptio antiquis characteribus facta. *Septimo Idus Iulij hac crux ſacratiſſima de Pariſio, ductu Angelorum ſanctorum, Camelo directa eſt ad hunc locum, ab inclito Hugone, & conjuge ſua Aba.* Hertzog Hug von Burgund und Aba.

Quæ epigraphe, cum tam raræ architecturæ autores ſuos, eorumque nomina deſcribat, ad alia minimè tempora referri poterit, quàm ad illa ipſa, quibus pii conjuges, in tam illuſtri opere elaborando, claruerunt.

Ea propter ex hac rationabili chronomantia, ſtaurophoriæ hujus fuiſſe teſtem & ſpectatorem annum octingenteſimum ſecundum vel tertium divinamus; donec forte ex aliis adhuc ſepultis monumentis, certior ejus calculus in numeros revocetur.

CAPUT IX.

De ſacratiſſima carne circũciſionis Domini cruci incluſa.

MEminimus ſuperius, ſanctiſſimæ Cruci incluſas, ibidemque cuſtoditas fuiſſe primitias Redemptoris noſtri, quas die octavo pro ſalute mundi Deo Patri obtulit Sponſus ſanguinum,

Ema-

Emmanuel noſter perdilectus: ita enim in ſuis Chronicis libris Alſatia noſtra reliquerat, & obſervarat.

Verum cum de pretioſo hoc annulo multi certent, eumque ſuis in theſauris numerent, hic minime omittendum fuit adjungere, quod pro hiſtoriæ ſinceritate, & omni ſcrupulo in illius aſſenſu tollendo, poterat inſervire.

Et quidem primo conſtat hanc pretioſam arrham vendicari à Chriſti ſponsâ primariâ, Eccleſia Romana, ut teſtatur Alphonſus Salmeron, & deſcriptio Sanctuarii Lateran: Eccleſiæ, M. S. ex codice Marchianenſi & Bruchenſi Coll. Societ. IESV. M. Attilio Serrano de VII Vrbis Eccleſiis c. de Baſilica Lateran. Toleto in c. 2. Lucæ. Annotat. 31.

Non latet etiam Symphorianum Campegium lib. de ſanctis Galliæ locis, tradere has ſacras exuvias Anicii in Arvernia piè cuſtodiri: Toletum quoque referre memini, eas Româ ablatas anno 1527. perveniſſe Calcatam pagum Anguillaræ familiæ, diſtantem ab Vrbe 20. millibus paſſuum, ibidemque in æde SS. Cornelii & Cypriani ſumma Veneratione aſſervari.

Demum ſcio pro hoc ornamento pugnare Antverpienſes & Aquisgranenſes;

quorum argumenta videri poſſunt apud Bollandum tomo 1. Ianuarii in feſta circumciſionis Domini ſolennitate. Quorum omnium autoritatem veneror ac ſuſpicio, éique nihilo minus detractum volo, cum rationibus ſuis conſtent, ac majorum traditione firmentur.

Verum nec hic omitti debuit, quod Alſatiæ annales tabulis ſuis antiquiore calamo inſcripſerunt, ne ſeniorum fides minus momenti, quâ ſuam poſteri roborare ſolent ac ſtabilire, habere judicetur.

Enim vero anno 1199. in Aſceterio Ottiliano Inferiore is ſanctæ Cruci appoſitus legebatur ſcalpro inciſus titulus. In hac *(Cruce) reconditum eſt Præputium Domini, de ligno Domini, de veſte B. Mariæ Virginis, brachium S. Baſilii, S. Dioniſii, cæterorumque SS. Reliquiæ*: Quorum fides ut rata haberetur, Principum nomina fuere appoſita, & ſubſcripta, Hertzog Hug von Burgund und Aba. Ex quibus congruenter ad credendum inducimur, non tantum anno 1197. ſed etiam Caroli & Hugonis temporibus, in hac pretioſa arca pro veneratione in devotiſſima D. Ottiliæ Parthenone cœleſte hoc donum fuiſſe aſſervatum.

Accedit quod Regi Carolo anno 799. Hieroſolymis, juxta autores citatos c. 8

Varia

Varia divorum lipſana, tanquam rariora obtigerint donaria; in quibus has ſanctas à Domino reliquias ad legationis majeſtatem, adjunctas fuiſſe minimè videtur dubitandū: ſiquidem & Chriſtianorum pietas videbatur exigere, ad auxilia à Carolo oppreſſis ab infidelibus facilius impetranda, ejusmodi beneficio ſibi Regem devincire, quo maxime in vota illorum inclinaretur.

Hinc M. S. Biblio. Carthuſ. Argent. expreſsè divinæ hujus Carnis Carolo miſſæ meminit, uti & alii ſuperius citati hiſtorici. Imo hanc veluti antiquiſſimam fuiſſe majorum traditiouem notat Jacobus de Voragine, in legenda aurea feſto Circumcis: Jacobus Epiſcopus Genuenſis ex Salmeronecit. Ioannes Baptiſta Signius in Reliquiano c. 1. ut porro ex tot ſubſcriptione teſtium, in theſauris Caroli hæc prætioſa fuiſſe cimelia, pro firmo & rato habeatur. Quod vero ſucceſſu temporis hæc cœli divitiæ in manus Hugonis Ducis religioſiſſimi; ab hoc in ſacrarium devotiſſimæ familiæ dictarum Virginum pervenerint, & ipſa quæ accidêre miracula, & rari qui evenêre in translatione eventus, & tota hujus hiſtoriæ ſeries, atque indubitatus, à tot centuriis in hac Patriâ omnium piorum unanimis cenſenſus, confirmat.

Atque hæc pro hiſtorica veritate ſcripta ſunto, quod olim in hac religioſiſſima crucis theca, primitiæ patientis ſervatoris noſtri quieverint.

An vero poſt tot varietates temporum, rerumque viciſſitudines, adhuc in eadem, ſub fidâ cuſtodiâ aſſeruentur, curioſus forte lector optaret habere exploratum: In quo affirmare licet primùm, de anno 1197. quo ſuperius citatâ Cruci appoſitâ epigraphe luculenter id conſignatur, magisque roborat perpetua cerei ardentis dotatio in honorem ſanctæ crucis, & reliquiarum inibi incluſarum, facta anno 1340. ut capite undecimo clarius innoteſcet. De alijs vero annorum centuriis ſubſequentibus, nulla ſe opponit in contrarium adverſa ratio, cum tot in turbidis caſibus, bellorum tumultibus, patriæ ruinis, hæc arca, Dei providentiâ, ſuperiorum induſtriâ, in hæc uſque tempora ita fuerit cuſtodita, ut de illius integritate, pretio, æſtimatione, quæ de pijs his pignoribus in illam derivabantur, nihil detractum vel imminutum reperiatur, proindeque bonæ fidei, famæ religioſiſſimæ, cultus devotiſſimi poſſeſſio videatur ei relinquenda.

Minime tamen hic definire placuit, an roſeus hic annulus ex toto, vel ejus notabi-

li





li portione hoc auro obductus fuerit; ne ſanctis ſanctorum Vrbis, aliisque celebrioribus ab hac devotione Baſilicis, quidquã detrahatur. Vnde etiam magis divino calculo hanc deciſionem, quam humanæ prudentiæ relinquimus.

CAPUT X.

Cultus & Devotio Majorum erga hanc S. Crucem.

QVanta ſemper in obſervatione fuerit populo Chriſtiano character redemptionis noſtræ; ſi mei inſtituti foret, hic fuſius deſcribere in juſtum opus excurreret labor meus: ſiquidem Venerationis illius plenæ ſunt omnium veterum tabulæ, & honoris illius inſignia in Templis & Columnis, in Aulis & Curiis, in Vrbibus & campis, multa temporum antiquitate veneranda paſſim & ubique ſpectantur.

De hoc noſtræ redemptionis ſymbolo, Cruce ſacratiſſima, ſic S. Chryſoſtomus.

Orat. quod Chriſtus ſit Deus.

Ea ubique invenitur, apud Principes & ſubditos; mulieres, viros, nuptas, ſervos, liberos: hanc ubique celebrari videre licet; in domibus, in foro, in ſolitudine ---, omnes de ea ſolliciti ſunt, & ubique fulget---- Quæ ſanctus Pater in unum congeſſiſſe videtur, ut honor & cultus per orbem ab omni ætate, conditione, ordine, vexillo ſalutis exhibitus, in una quaſi pagella ad lectoris commodum ſpectaretur.

Hîc meus ſcribendi ſcopus eſt, in eam Majorum devotionem excurrere, quâ ſanctimoniæ hujus præſens documentum extulerint & celebrarint.

Ac primum ut perfuncti legationis ſuæ officio viri quinque nobiles, totius peregrinationis rationes, eventa, præſidia: populorum item concurſationes, pios ſenſus, acclamationes: exaltatæ Crucis feſtivam ſtationem, honores eximios, religioſos cultus, prolixâ oratione, copioſiore affectu, ſuſpenſis ad ſermonem in gaudio Principibus expoſuerunt; excitati devotiſſimi conjuges, ne inter poſtremos ad hanc pietatis aram, ſua offerent vota, per aſpera viarum itinera, ſepoſitis curis domeſticis, multo labore & ſumptu veſtigia Crucis

ſanctiſ-

ſanctiſſimæ fuêre ſectati, ut ibi ad debitam ſe inclinarent reverentiam, ubi trophæum honoris figendum ſibi elegerat Deus. Superfluum eſt enumerare quo fervore difficultates itineris, quaque animi æquitate illius moleſtias temperarint: hoc ſolum meminiſſe juvat, ſingulari devotione proſtratos ſub hac æternæ vitæ palma ſuſpiraſſe, ad deguſtandum fructus illius ſuaviſſimos, & meditatione cœleſtium gratiarum in copioſas laudes, in uberes lachrymas ſe effudiſſe, quod divini muneris ſignificationem, ad populorum plurimorum utilitatem, ad augmentum chriſtianæ pietatis, ad levamen miſerorum proſtare, jam oculis ſuis inſpectarent. Nec contenti his animi ſanctis motibus, mox novis muneribusauro argentoque pretioſis, aram ſanctam ditarunt, ſelectis anathematis parietes exornarunt, ut Crucis ſplendor & honor, ex tot acceſſione donorum, ad majus proficeret incremntum.

His poſtea ſucceſſere quinque viri nobiles, mirabilium Dei in Crucis translatione ſpectatores oculati, quibus non ſuffecerat de ſua rerum ſubſtantia fuiſſe pios, quin etiam vitam ipſam diesque reliquos, ſub umbrâ arboris vivificæ, in ſanctitatis exercitio conſummarent: Etenim ſuis vale dicto,

cto, rebusque domi compositis, ad hanc virtutis & devotionis scholam novi tyrones & discipuli se contulerunt, ut divinis intenti jam sibi & Soli Deo posthac impensius studerent. Erat illorum cura & labor assiduus, jugi adesse sacrificio, interesse psalmodijs, vigilias in oratione ducere, peregrinis aliunde adventantibus suam locare operam, aliisque charitatis studiis se occupare, ut sub crucis labaro stipendia mererent beatæ æternitatis. Et vero impetrarunt liberalissima; siquidem vitæ sanctimonia, morum integritate virtutum contentione, eam nominis & famæ accessionem sibi comparârunt, ut fata eorum & ossa, quæ in Basilica Niderburgensi deposuerant, omnis posteritas sanctitatis gloriâ perbearit. O felicia ætatis illius tempora! quibus divinus è cruce amor post se dulcissima tot traxit pectora, sibique colligavit.

Richardus Rex Angliæ Cruce signatus, cum ex Oriente & bello sacro avitum repetiturus Regnum Alsatiam transiret; hic quoque eucharistica sua vota deposuit, regiaque dona post multas demissè fusas gratias, in hanc pietatis arborem suspendit.

Aimoinus in auctar.

Omitto aliorum Ordinum honores, insignia, tabulas: cœtus populorum, peregrinorum supplicationes, advenarum vigi-

lix

lias, preces, laudesque continuas; illa tantum renovo, quæ devotionis antiquæ in hæc usque tempora adhuc proſtant & viſuntur monumenta: Enim vero quà ad hoc aſceterium nobile, dirigit viatores ſemita, variæ ſuis diſtinctæ inter columniis è lapide polito cernuntur pilæ, ſupplicantium ſtationes, quibus inſculpta calamo ferreo Staurophoriæ hujus imago, ad indelebilem poſterorum memoriam, animis & oculis prætereuntium proponitur obſervanda. Viſuntur ad S. Naborem Eccleſiaſtica labara, quibus pervetuſto penicio antiqui temporis Apelles, hunc piam ſarcinam Camelo impoſitam inſcripſit. Quin ipſis ibidem in agris, in ſylvis & triviis hoc ſacro inciſi ſigno terminales lapides, territorii diſtinguunt jura; ſuisque documentis & chirographis incolæ adhuc in præſentiarum fidem faciunt & publicam autoritatem. Nec mirum Monaſterii olim ſubditos hac notâ ſua inſigniiſſe latifundia, ſuisque eam appreſſiſſe tabulis, cum etiam officii ſui & prælaturæ dignitatem, Congregationis hujus Antiſtitæ, hoc ſigno voluerint eſſe eximiam: ſic enim in tabulario Illuſtriſſimi Capit. Eccleſ. Argent. reperi, ubi Suſanna de Rathſenhauſen anno 1421. Abbatiſſa prædicti Monaſterii, ſub

ſignatura

ſignatura Magiſtratus ſui, quæ Camelum & Crucem impoſitam exprimit, aream pro hoſpitalis erectione, in uſum peregrinorum & morbidorum aſsignatam, inſtrumento autographo conceſsit & ſtabilivit. Quæ omnia majores nostri eò volvere ſupereſſe teſtimonia, ut proli poſt ſecula ſubſecuturæ, beneficiorum exhibitorum vivum mnemoſynon ſemper eorum mentibus obverſaretut.

CAPVT IX.

Dotationes & pie fundationes S. Cruci oblatæ.

HOs ſtabiles piorum proventus hîc ſubnectere convenit, ut ex iis ardor avorum noſtrorum innoteſcat, quo gloriam & cultum S. Crucis ſtabilire ſunt conati: fieri namque conſuevit, ut niſi fervor devotionis alatur continuo, mox deficiente paulatim nuttimento intepeſcat, animamque exſpiret. Hinc

cen-

census ex agris, vinetis, aliisque possessionibus contulère perpetuos, ut iis fidelium pietas assidue foveretur. Pauca ejus argumenti documenta, ob varias temporum injurias, in manus meas devenere; quæ tamen haberi potuerunt, ex autographis, in testimonium antiquæ pietatis, hic judicavi apponenda, prout tulit & dictavit numerus ac ordo annorum. Ac primo quidem de anno 1218. sic habetur.

Coram nobis, Judice Curiæ Argentinensis, constituta Anna de Rodesheim, soror quondam Ioannis Præbendarii Monasterii inferioris in Hohenburg, filia quondam Aegenolfi dicti de Hasilea de Rodesheim, ob pium affectum, quem se habere dicebat erga Abbatissam & Conventum Monasterii prædicti, ejusdem Dominabus ob honorem SANCTAE CRVCIS, donavit donatione inter vivos, assignavit, & liberè resignavit, purè, simpliciter, irrevocabiliter, & in totum omnia sua bona mobilia, & immobilia, jura, actiones, debita, & nomina debitorum quocunque nomine censeantur, habita ac habenda; ubicunq; locorum sita, & reperta fuerint vel inventa: & specialiter bona vinifera & frugifera, quæ dicta Anna habet in banno & oppido Rodesheim, se donasse, assignasse, & libe-

re

re reſignaſſe publice eſt confeſſa- transferens etiam dicta donatrix per porrectionem calami, ut moris eſt, in Magiſtrum Ioannem de Ehenheim, & Geintzhelinum de Nordelingen, Procuratores Dominarum prædictarum præſentes, & vice ac nomine earundem recipientes omne jus, poſſeſsionem, proprietatem, dominium, vel quaſi, quod ſibi in bonis prænotatis competebat: promittens prædicta donatrix ſe dictam donationem propriam in modum prædictum factam, & gratam habituram, nec contra eandem venire quovis modo. Renuntiavit inſuper dicta donatrix exceptioni ingratitudinis, doli mali, actioni reſtitutionis in integrum, omnibusque aliis exceptionibus & defenſionibus, quibꝰ contra promiſſa venire poſſet quomodolibet, aut juvari. Et in hujus rei teſtimonium, ſigillum Curiæ Argentinenſis, ad petitionem dictorum Procuratorum, præſentibus eſt appenſum. Actum IV. Idus Februarii anno Domini 1218. Hujus inſtrumenti duo ſunt paria, quorum unum apud dictas Dominas remanebit, aliud apud donatricem prænotatam.

Huic non abſimile pietatis exemplar erectum fuit anno 1228. à viro, cultu & religione erga Deum commendatiſsimo; cu-

jus

jus memoria ne intercidat, eadem quoque hic erit renovanda.

Ego Leopoldus de Ottenrode; univerſis & ſingulis præſentium inſpectoribus volo eſſe notum: quod ego bona mea in bannis Ottenrode, & Gertenvviler ſita, tam propria quam hæreditaria, eo jure quo ego poſſideo, & cætera bona mea, tam mobilia quam immobilia univerſa, quæ jam habeo, vel habiturus ſum, contuli & confero Dominæ Abbatiſſæ & Conventui inferioris Monaſterii in Hohenburg, in honorem B. Virginis & S. Crvcis, & in remedium animæ meæ, libere & abſolute. Et in majorem evidentiam præmiſſorum, viro honorabili Domino de Entingen Archidiacono Argentinenſi bona præmiſſa loco & nomine ipſius Monaſterii trado & aſſigno, habente ſpeciale mandatum prænominata bona nomine prædicti Monaſterii recipiendi, & in manibus Viri Domini VV. de Gerolſeck Præpoſiti Argentinenſis, loco Archidiaconi reſigno, quidquid juris quoad proprietatem mihi competit in eisdem. Volo, ut idem Monaſterium habeat poſſeſſionem quoad proprietatem eorundē bonorū, & poſt, ſi me decedere contigerit, ſine qualibet contradictione meorum ſucceſſorum, ſive conſanguineorum,

& aliorum quorumcunque, cum proprietate uſum fructum idem Monaſterium teneat, poſſideat, & recipiat eorundem, in uſum ipſius Monaſterii convertendum. Idemque jus quod mihi competit, ipſum Monaſterium in eisdem bonis habere volo, etiam ſi habitum alicujus religionis in eodem Monaſterio, vel alibi duxero aſſumendum. Et in probationem præmiſſorum, eidem Monaſterio trado præſentes litteras prædicti D. Præpoſiti ſigillo roboratas.

Acta ſunt hæc anno Domini 1228. menſe Februario, præſentibus teſtibus Domino E. de Endingen Archidiacono Argentinenſi, Magiſtro Zettreche, Canonico Eccleſ. S. Thomæ Argent. Domino Lamperto Canonico Eccleſiæ inferioris Monaſterii, & aliis quam pluribus.

Tertium ejusdem ſeculi pietatis argumentum, reliquêre devoti conjuges, publicis inſertum actis.

Willeburgis divina diſpenſatione Inferioris Monaſterii in Hohenpurg Abbatiſſa, cum toto ejusdem Eccleſiæ Collegio, omnibus hanc paginam inſpecturis ſalutem in ſalutis Autore. Noverint univerſi, tam præſentes quam poſteri, quod Fridericus de Ottenrode, & legitima ſua Mechtildis, Curiam ſuam in eadem villa ſitam, Eccleſiæ

S. Ma-

S.Mariæ ET S. CRVCIS inferioris Monaſterii, in remedium animarum ſuarum contulerint... Acta ſunt hæc anno incarnationis Domini 1240.

Quartum Inſtrumentum, idiomate germanico formatum, anno 1340. ipſarum in dicto aſceterio, ſacrarum Virginum veſtalium curam atteſtatur, qua igne votivo Crucis ſolemnia ſemper eſſe feſtiva laborabant. Senſus illius latino ſermone redditus, eſt ejusmodi, ut ſequitur.

In nomine Omnipotentis Dei, ad laudem ſanctorum ET RELIQVIARVM SANCTAE CRUCIS in Monaſterio inferiori, honorem.

Ego Eliſabetha Wafflerin de Biſchoffheim, ſanctimonialis & Religioſa ejusdem Monaſterii, conſtitui & dotavi cereum ardentem die noctuque perpetuum usque ad finem mundi, ANTE SANCTAM CRVCEM in prædicto Monaſterio; in ſubſidium animæ meæ, avorum meorum, & omnium aliorum, à quibus bona mea profluxerunt, unde ſumptus in hunc cereum deſumendi: Omnia tamen cum bonâ veniâ & licentiâ venerabilis Dominæ Catharinæ Abbatiſſæ præfati Monaſterii inferioris in Hohenburg. Atque ne unquam vel de die, vel de nocte lumen hujus cerei defici-

at consensu dictæ venerabilis Dominæ Catharinæ, totiusque religiosi Conventus, statui & ordinavi, ut ante memorata D. Abbatissa, aliæque post mortem ipsius in officio Prælaturæ succedentes, bona subsequentia cum omni usufructu, tanquam sua ut propria possideat, iisque fruatur, eo fine, ut ab ipsa & ejus cura semper *ante S. Crucem hic cereus foveatur* & continue alatur. Quod si tamen aliquo casu accideret, quo sumptus ex bonis assignatis ad hoc lumen alendum non sufficerent, volo ab obligatione dictas Dominas esse liberas, nisi forte ex annorum præcedentium, reditibus, ii forent in residuo, unde defectus suppleri posset.

In horum fidem & ratificationem.

Ego Catharina Abbatissa, & totus Monasterii inferioris Conventus, nostrum appendimus sigillum, eoque præsentes litteras roboravimus, pridie S. Andreæ anno Domini 1340.

Ad calcem harum litterarum subjecta erat in Banno Barrensi bonorum donatorum specificatio; quæ cum intentioni meæ non subserviret, brevitatis câusa putavi omittendam; hoc solum advertendum liberalissimam olim fuisse in Deum Divosque Christianorum devotionem, ut eam

non

non modo annis ſuis voluerint eſſe coævam, ſed etiam poſt fata ſua ac mortem vivere & ſupereſſe peroptarint.

CAPUT XII.

De Eventis rarioribus, virtute & occaſione S. Crucis.

ETſi Deus mirabilis ſit in ſanctis ſuis, & opera omnipotentiæ ſuæ ad illuſtrandam in orbe famulorum ſuorum fidelitatem, multis & raris ſignis declararit: nihilominus in uno trophæo Crucis magnalium ſuorum gloriam, amicis pro veneratione, pro confuſione inimicis, omnibus pro oſtento videtur deſcripſiſſe. Etenim ubique & in omni terrarum loco, fulget Crucis myſterium, ac mira operatur Virga novi Moyſis, unica fidelis populi regula, & theſauraria divinæ bonitatis. Prætereo Conſtantini Magni tempora, SS. Oſvvaldi & Vdalrici refugia,

nec repeto elogia Ambrosii, Andreæ Cretensis, aliorumque Patrum præconia, quibus hanc gloriæ coronam S. Cruci deberi luculenter attestantur, solum mihi sermo est de proposito Salvatoris signo, quo Deus, mirus & beneficus voluit deprædicari.

Atque inprimis historia M. S sic paucis multa de eo recenset: Quanta Deus in præfato loco per virtutem sanctissimæ Crucis, usque modo fecerit & jam nunc operetur miracula, digerere non nostræ facultatis est, quoniam materia, tempus, & ingenium exsuperat, & facilius me scribentium inopia, quam scribendorum copia defereret; Quod etiam testantur compedes & catenæ ferreæ ad indicium veritatis, & consolationem appressorum inibi appensæ; quarum quasdam à longinquis terris allatas ab eisdem comperimus, quibus sanctissimæ hujus Crucis memoria, & sanctarum reliquiarum invocatio vitæ præsidia contulit. Ad rem, & bonum multorum fuisset, si acuratius collata beneficia, & vim Crucis mirificam, pro solatio posterorum, vel in ephemerides suas retulisset, forte & nunc superessent ad illius cultum majora feruoris invitamenta: nihilominus alia, quæ side majorum tradita, actisque suis inseruerunt explicatius

hiſtorici, ſupplebunt omiſſa excitandæ venerationis argumenta. In quò altius id menti imprimendum, quod toto in recitatæ peregrinationis hujus decurſu, comitibus ſuis ſe ducem & ſecuram Vibiliam Crux exhibuerit, quò tandem ejus indicio, & vi monſtrante quaſi magneticâ, ad polum ſuum, & viarum tetminum læti deducerentur. Erant viri de itinere dubii, de metâ ſolliciti, de erroribus anxii: verum hâc Crucis columnâ, quæ ſigni vivifici prima prærogativa eſt, ex ambagibus & curarum moleſtiis fuerunt feliciter expediti. Certè una ſalus peregrinationis noſtræ Crux Salvatoris, à cujus prototypo, alia ejusdem beata ſigna, in bonum Chriſtiani populi animantur, & miram virturem trahunt.

Prodigioſum etiam fuit veſtigium, quod inſolidâ petrâ reliquit Camelus, bajulus tanti pignoris, ut ſupra ex fida traditione memoratum: Nec minus rarum, jumentum poſt hac conſtanter adeo ſervitiis ſuis ſe illi aſceterio mancipaſſe, ut nullis invitationibus ad lares priſtinos potuerit avocari.

Refert Gebvveiler, & M. S Carth. Argent. fuiſſe Hugoni Principi æs ſonans, & vocale tintinnabulum, quo ſub papilionibus in bello conſtitutis, ſuis accitis, man-

data dabat. Hoc conjux ejus devotiſſima, abeunti Camelo, è collo ſuſpenderat, tùm ut hoc æris ſono jumentum in viâ, & ejus moleſtiâ, excitaretur, tum ut res Deo ſacra fieret, quæ viro ſuo ante, & Marti ſubſerviebat. Evenerat autem, inquit hiſtoria, ut poſt viſitationem religioſi cœnobii, abſolutisque ſuæ devotionis exercitiis, affectu priſtino excitatus Hugo, bonâ veniâ ſacri conventus, & magnâ pecuniæ redemptione, familiare ſibi æs, & linguam tinnientem, mandatorum ſuorum quondam interpretem retraheret; cumque haud longè à Monaſterio vallis planitiem attigiſſet, ſonum tintinnabuli ſui audire delectatus, à cliente, cujus curæ deputatum erat, pulſari fecit: Verum divinâ potentiâ operante, vas illud æneum quod antea ſonorum & vocale, ſuo clangore audientes paſcebat, raucum & turpem ſonum creans, ſtanneam vel plumbeam materiam recantavit. Quo audito, Hugo flagello correctionis divinæ applaudens, ad locum cui prius oblatum & dicatū fuerat remiſit, cœptoque itinere cum pace & tranquillitate ad ſua remeavit.

Habet incolarum ad S. Naborem conſtans traditio, hoc æs ſucceſſu temporis arte fuſoria colliquatum, novæque campa-

næ

næ immixtum, ea donatum fuiſſe gratiâ, ut quá ſe ſonus illius diffunderet, omnem à noxiâ tempeſtate viciniam præſervaret.

Bene S. Paulinus.

Noſtra ſalus, Vere Cruce Chriſti, & nomine conſtat,
Inde fides nobis, & in hac Cruce nixa periclo.
Profuit——

Pro coronide capitis hujus adjungendum, quod ex viris fide dignis obſervavit hiſtoria, Coll. Societ. Jesu Molshemenſis. Occupaverat hoc oppidum, totumque illius agrum hoſtilis exercitus anno Domini 1610. è vâriis heterodoxorum copiis conflatus & numeroſus; cumque militarem inſolentiam, impunè, tum, in res Deo ſacras, & templa, divosque exercuiſſent, anno ſubſequente divina manus eſt inſecuta; à fide namque dignis notisque viris eſt relatum, ac litteris diſertè ſcriptũ, plerosque belli anteſignanos & aſſectatores, repentinâ, malâ, durâque morte pœnas dediſſe, poſtquam ad ſua redière; & quidem unum è nobilitate præcipuâ aulicæ familiæ Sereniſſimi cujusdam Principis (cujus nomen hic omittitur) gubernatorem, eo quod Molshemii Crucem argenteam ſacris reliquiis & miraculis claram, pedibus deteſtabundo ſtomacho, & contumelioſo ore proculcaſſet, in tam gravem

domi ſuæ infirmitatem incidiſſe, ut ex ea nec mori, nec conſaneſcere diu potuerit; ſed miſerrimâ plagâ cruciatum, ſimilem ſibi crucem, qualem ſacrilegè protriviſſet, in ſe ebullire (ut de Azotiis ſacra narrat hiſtoria) è ſuo corpore magno horrore fuiſſe à ſe conſpicatam. Quis non crederet Iuliani Crucis inimiciſſimi, denuo rediiſſe tempora, quibus patientis Salvatoris victorioſum ſignum notam & plagam inureret luculentam? S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 12. 13. 15. effatus eſt: Hoc ſignum tremore inimicis eſt, gaudium amicis credentibus; ſignum fidelium, & Dæmonum timor.

CAPUT XIII.

Occaſio translationis S. Crucis ad Collegium Societatis IESV Molshemenſe.

OCcaſione argumenti propoſiti, hic mihi repetenda ſunt

prima Collegii posita Molshemii fundamenta; è quorum notitiâ tam pretiosæ supellectilis translatio lucem habet, & facem illustrem. Quod etiam eó libentius præsto, quod gratitudo id postulet, ac debitum exigat, quo filii parentibus, clientes suis Patronis, & Fundatoribus gratiosissimis, sunt obligati.

Sederat in Cathedra Ecclesiæ Nobilissimæ Argentinensis Pontifex, mitra Episcopali decorus, & pastorali pedo conspicuus Alsatiæ Comes Provincialis, JOANNES IV. è clara & pervetusta Illmi S. R. I. Comitum â Manderscheid, Blanckenheim, Russi, & Gerolstein &c. familia; evectus ad hunc honoris thronum anno Virginei partus 1569. die Januarii 26. Vir singulari prudentiâ, excelso animo, pietate, & avitæ religionis zelo laudatissimus.

Hic cum in speculâ ecclesiasticâ constitutus animadvertisset, sacra jacere, divina profanis corrumpi, mores ætatis cujuslibet à noxiis erroribus infici, juventutem ejusque sinceram instructionem posthaberi, totamque fere Patriam Catholicam in discrimine puræ religionis versari, omnia studia censuit impendenda, ut pro curâ suâ Pastorali, gregi, tantis malis laboranti, maturè de remedio provideretur. Itaque

pïis

piis legibus in Aula sua amplissima, cæterisque Vrbibus sibi subditis ad observantiam revocatis, quò firmius propugnarentur, instituendæ formandæque ad morum & pietatis christianæ pristinam sinceritatem juventuti, scholas Tubernis, Alsatiæ Oppido percelebri novas instruxit, ut ex iis, à teneris novi tyrones prima rudimenta addiscerent, optimis sanctionibus in suo vigore & robore conservandis. Verum cum nec illi conatus sufficerent, nec pares sanctis laboribus afferrent fructus; ea tandem consilia iniit, ut in subsidium patriæ homines Societatis advocarentur, quorum institutum & operam ad scopum sibi propositum aptissimam judicabat, ex eo vel maximè exemplo, quo noverat hanc aliis Germaniæ Principibus & Imperatoribus fuisse satis probatam. Qua propter ultrò citròque expeditis ad eos, quorum intererat litteris, efficacibus desideriis suis ea momenta rationum apposuit, ut omnes votis ipsius justissimis, judicarent esse condescendendum. Proinde omni abruptâ morâ, rem ipsam aggressus Princeps Magnanimus, Collegium Molshemii Societ. Jesu pro bono Patriæ, juventutis sincera educatione, orthodoxæ religionis conservatione instituit, eique ita provisum voluit, ut in-

incepta magnificè robur tuum, firmamq; ſtabilitatem in futura tempora aſſequerentur. In quem finem mox Inſtrumentum Fundationis expedivit, publicum affectus optimi teſtimonium, & decretum piiſſimæ voluntatis. Quod cum multa contineat, quæ ad laudem liberaliſſimi Parentis noſtri & Succeſſorum ejus, ad notitiam poſterorum, eorumque utilitatem ſpectent, id ipſum, quantum ſcriptionis meæ ratio poſtulaverit, ad verbum judicavi hic inſerendum.

JOANNES DEI & APOſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Argentinenſis, Comes Provincialis Alſatia &c. Omnibus has litteras viſuris ſalutem.

CVm in tanta religionis, & rerum omnium perturbatione ac confuſione, ſollicitè pro muneris ratione paſtoralis, quod viribus, licet impares, ſuſtinemus, in eam curam eſſemus intenti, quomodo Eccleſiæ Dei nobis commiſſæ, & Chriſti ſanguine acquiſitæ, & pro qua in die Domini rationem nobis reddendam

ſæpè

ſæpè in animum cum timore & tremore revocamus; quomodo inquam, huic rationalium ovium gregi quam optimè conſuleremus; præcipuum atque adeo unicum remedium occurrit, quod in juventutis rectâ iuſtitutione poſitum, nobis non ſolum ſacrum Concilium Tridentinum, ſed & ipſa neceſsitas, & multorum experientia perſuaſit.

In quo genere, cum & Anteceſſor noſter Eraſmus feli. recordat. & nos multas vias tentaſſemus, & ſcholas cum labore & ſumptu non exiguo inſtituiſſemus, non habuit tamen noſter conatus illum ſucceſſum, quem aut ſollicitudo noſtra, aut urgentis periculi magnitudo poſtulabat; donec tandem multorum in ſacro Imperio Archi. epiſcoporum, Epiſcoporum, Principumque, aliorum, atque adeo ipſius Cæſareæ Majeſtatis exemplis commoti, litterisq; Apoſtolicis & Cæſareis admoniti, judicio &conſenſu univerſi Cleri noſtri, ad id convocati, ad Societatem Iesu (quam in juventutis eruditione, populique inſtitutione non modo in Germania, ſed per omnes Orbis partes feliciter verſari conſtat) curam cogitationemque converteremus.

Cui Societati, in Oppido noſtro Molshemio Collegium erigere cogitavimus, quo

juxta

Juxta institutiones rationem, iſtique Societatis religioſi vivant, populum ſacris concionibus, Sacramentorum adminiſtratione, aliisque ibi conſuetis mediis juvent & juventutem inſtituant. Ad cujus Collegii conſtitutionem in noſtro prædicto Oppido Molshemio, Hoſpitalem domum, Virgini-Deiparæ conſecratam, jam pridem defectam, cum templo, horreis, hortisque omnibus, pro habitatione, & ſcholis aſſignatam, unimus, & incorporamus. Et quia nonnulla ruinoſa, nonnulla etiam à religioſæ habitationis & ſcholarum uſu aliena ſunt, promittimus, Nos iſto tempore omnia in commodiorem uſum, prout religioſæ habitationis & ſcholarum ratio poſtulat, accommodare, atque ſatis teſtis tueri & conſervare velle: idque accedente legitimo conſenſu, atque approbatione ſanctæ Apoſtolicæ ſedis, & Reverendi Capituli noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, abſoluque quorum opus fuerit.

His ſubjuncta erat præ ſubſtantatione neceſſaria, annua & perpetua Collegii dotatio: quæ cum fuiſſet ita, neque hic de ejuſdem modum ſubſerviat brevitatis ſtudio eſt judicavi omittendam, præſertim cum intentionis tantum meæ ſit commemorare, quod munificentiſſimi Principis ſtudium in

in communem utilitatem Patriæ, & divinorum ſuscitandum florem priſtinum commendaret. Igitur cum piiſſimus Antiſtes, eò præcipuè curam ſuam intenderet, ut ſacrâ in æde quod ad piarum cæremoniarum amplitudinem faceret, nihil deſideraretur. templum Collegii ſui omnivariâ ſupellectile pretiosâ inſtruxit, raro veſtivit altaria peripetaſmate, vaſa pro ſacrificio ſubminiſtravit cultiora, aliaque devotionis augendæ liberali manu porrexit ornamenta, quò ipſo opere deſideria ſua in cultum divinum ſtudioſiſſima, atteſtaretur. Quod conſiderans Franciſcus Guillimannus in vita memorati Principis Epiſcopi, ejusque geſtis, hoc elogium digniſſimum ad calcem appendit. Quanta fuerit IOANNIS in adſerenda, augendâque Catholicâ fide, & religione cupido, cura, & vigilantia, luculentum præbet teſtimonium, conditum ab eo Molshemii Societatis Iesu Collegium, ut vel hoc uno facto, optime ſit de rep. Chriſtianâ, & univerſo Epiſcopatu promeritus, magnamque & nunquam intermorituram famam gloriæ & laudis conſecutus.

CAP.

CAPVT XIV.

Translatio S. Crucis in Ecclesiam Societat. IESV Molshemii.

VT nihil in hoc orbe ea soliditate fundatum est, quod non quandoque concutiatur, & sua vetustate in ruinam concidat, nisi aliundè maturius sustentetur, & defectuosa reparentur; ita variis casibus nobilis Asceterii Inferioris Ottiliani montis gloriâ attritâ, tandem post multa secula evanuit, ac suis in cineribus fuit sepulta. Vt enim memorat Gebvveiler, magna successu temporis damna tulit & incommoda à bellis, incendiis, aliisque siniſtris eventibus, ut ejus in perniciem omnivaria malorum turba videretur conspirasse. Nec mirum est scintillas in hæc Deo sacrata evolasse tecta, quando vicina flamma longè latèque sæpius Alsatiam est depopulata, ut plenis scriptorum est annalibus observatum. In vita S. Ottiliæ.

Fuit autem hujus ſacri Partheronis decor primùm, quantum ex præſentibus, hiſtoricis colligere licuit, incendio deformatus circa tempora Edelindæ Abbatiſſæ, ita quidem, ut omnis illius tùm Monaſterii, tùm Eccleſiæ honor in fumum abierit, miſereque conflagrarit: Deo tamen favente, & bonis conſpirantibus, ſub induſtriâ & cura ejusdem Antiſtitæ, annis mox ſubſequentibus, è buſto ſuo revixit, ac ipſum cœnobium & templum priſtino ſuo decori eſt reſtitutum, ſedente (ut ſuprà meminimus) in Cathedra Argentinenſi Epiſcopo Conrado. Videri jam tùm poterat ſplendor illius novis decoratus ornamentis, nullis poſthac nubibus obfuſcandus; ſed ea, quæ rerum humanarum eſt viciſſitudo, denuo pulchritudinem tam ſanctæ Congregationis, corruptelâ à variis malis accita omnino deformavit & extinxit. Enim vero anno 1541. dum Præſes illius res ſuas foris ageret, domi natum incendium, ampliſſimum ædificium, ædem ſacram percelſis turribus conſpicuam, ſanctiſſimisque monumentis percelebrem, penitus abſumpſit ac ſepelivit. Superſunt in hæc tempora ruinæ illius teſtimonia, & relicta adhuc lugent rudera, diſperſos ſanctuarii lapides, montem Sion perfecti decoris obſcuratum, colo-

colorem mutaſſe optimum, neceſſupereſſe filias inclitas, quæ veniant ad ſolemnitatem.

Igitur cum eâ clade religioſa familia maximè attrita, ſpes fere omnes jam ſucciſas haberet unde reſurgeret; ad prima inſtituti ſui incunabula revocata in Alticonam, & beatiſſimæ Ottiliæ matris ſuæ hæreditatem commigravit; ut in deſolatione & mœrore contritionis ſuæ, deſiderabilium ſuorum ſoiatia reciperet à parente. Verùm nec in hac arce tuta fuit diu & ſecura illius manſio; cùm enim Novatorum licentia, quaquà circum per Alſatiam & Germaniam, omnia avitæ religionis & pietatis everteret, fundamentum, etiam ipſa Ottiliani clauſtri perfregit repagula, tenerumque Chriſti gregem diſſolvit ac diſſipavit. Quò factum ut poſtea anno Domini 1546. etiam amœniſſima totius Alſatiæ ſpecula, magnificentiſſima D. Ottiliæ ſedes, flammis ex inſperato correpta, ſinu ſuo in futurum excluſerit univerſas.

Ergo cum deſolata in hoc Oratorio jaceret pietas, omnis fileret Chorus, ſqualeret divinus cultus; authoritate Eccleſiæ, ejusque ſummi capitis, dicti cœnobii bonorum poſſeſſiones, agrorum fructus, fundi, vectigalia, cenſuum proventus; quin ipſa

ſacrarii decora, ornamenta pretioſa, tabulæ, ſacræ reliquiæ, aliaque Chriſtianæ devotionis ſigna, quæ flammis raptim & tumultuario labore ſuere ſubducta, in jura Epiſcopatus, illuſtriſſimi venere Argentinenſis, ne ſacra Deo, prophanorum fierent ſpolia, & honor divorum vileſceret, quem plura ante ſecula gloriosè ſuſtentarant. Laboravit in hoc egregiè, non minus litterarum, quam pietatis laude commendatiſſimus Antiſtes Eraſmus, ex perilluſtri & glorioſiſſima Baronum Limburgiorum S. R. I. Pincernarum familiâ, cujus induſtriâ & autoritate Argentinam cultus divinus poſtliminio revocatus, in patria pax aurea conſervata, ejus præſentia in Concilio Oecumenico Tridentino ſub Pio IV. multa præclarè in religionis commodum fuêre definita.

Ejus veſtigiis inhæſit dignus æternâ memoriâ, jam ſæpius commendatus Joannes, ſucceſſor illius in Pontificatu Argentinenſi meritiſſimus, qui uti in orthodoxa fide erigenda doſudavit plurimum, ſic in renovandis virtutum imaginibus, & priſtinæ devotionis excitandis teſtibus, pro poſterorum ſuorumque ſubditorum, in Deum divosque fovendo affectu aſſiduo, impenſe ſua ſtudia elocavit.

Digitized by Google

Erat illi vel maximè cordi Crux noſtra ſacratiſſima, ad cujus aſylum tot olim afflictorum confugerant agmina, tot vota miſerorum hauſerant ſua ſolatia, ut honori & cultui debito reſtitueretur. Quare nobile illud Alſatiæ decus, & clarum patriæ ornamentum, religioſæ familiæ á ſe Molshemii inſtitutæ ita concredidit, ut donatione perpetuâ in ſuis poſthac haberet, veluti ſingularis & paterni amoris ſymbolum, ac juge devotionis illius, in ſe, ſuisque ſubditis alendæ fomentum.

De hoc munificentiſſimo dono, in Notis ſuis ad vitam S. Ottiliæ littera D. R. D. Ioannes Schuttenheimer Paſtor vigilantiſſimus in Ottenrode, ſic ait: Monumentum S. Crucis, quod fuerat in Monaſterio Inferiori, templo Patrum Societatis IESV Molshemii *donatum fuit ab Epiſcopo:* Ita ut omnis à prædicto cœnobio ſacer ac divinus cultus exularit. Facta eſt hæc translatio, anno Incarnationis Dominicæ 1580. Collegii gubernacula moderante P. Iacobo Ernfeldero, Patriâ Spirenſi, viro egregiè docto & inprimis illuſtriſsimo Principi Fnndatori charo, quando ad ornandum Eccleſiæ decorem, Epiſcopus devotiſsimus, in aliis, illuſtre hoc Crucis ſignū ad incrementum pietatis voluit eſſe primum.

CAPVT XV.

Cultus & devotio S. Crucis in Templo Societatis IESV Molshemii.

TRansplantata igitur in hortum novum hac salutis arbore, omnis in eo fuit Societatis industria, ut novis irrigationibus devotionis affusis, firmas radices ageret, floremque resumeret priorem. Quare in templi tholo ex alto suspensa pietatis tessera omni populo pro cultu & veneratione fuit exposita, ut semper in oculis, pristinos quoque in animis religionis ac fervoris antiqui resuscitaret ignes. Quod quidem ita feliciter accidit, ut de re sua actum crederent cives, si ob belli tumultus, aliasque temporum difficultates conspectui, subduceretur. Vrgebat quandoque capitalis Christianorum hostis in ruinam Ecclesiæ effusa barbaries, & terrorem cædibus ac crudelitate passim & ubique incusserat Ottomannus: cumque

ad

ad ſiſtendum ferocientem impetum, à variis Chriſtianæ reipublicæ ordinibus, multis votis & precibus ſupplicaretur, hîc aræ Principi ſanctæ Crucis impoſito ſimulachro, inter Davidis & Magdalenæ affectus cernuos, pro bono publico, patriæ ſalute, pro aris & focis, ſubſidia jam alias probata, tela nova, præſidia, ex hoc pietatis armamentario curâ aſſiduâ, ſtudioque indefeſſo fuêre requiſita: Vix grandius malum fores concuſſit, aut territavit tempeſtuoſa nubes, quò non erecto mox ſacro pegmate, hunc gratiæ thronum pro veniâ, pro miſericordia, hoſtia ſacra in frequentiâ ſupplicantium litaretur. Sileo ſtudia ex variis orbis partibus ad ſpectandum baſilicam, à Sereniſſimo Leopoldo I. Auſtriacæ potentiſsimæ familiæ gloriâ, & Epiſcopo Argent. Societati magnificè erectam, quotidiè ferè concurrentium, ut inter alia, hoc religionis monumentum, & arrham divinæ liberalitatis venerabundi contemplentur: Eſt in vrbe devotorum utriusque ſexus, ex vario ordinum ſtatu etiam illuſtri & Magnatum ſpectabili gradu, cœtus in unũ congregatus, ſub titulo & nomine Agoniæ Salvatoris noſtri: Hujus cura inprimis in eo ſtudioſè laborat, ut interpoſitâ Chriſti patientis luctâ, ejusque pro ſalute noſtrâ

perpeſsis extremùm doloribus, piè æterno Patri oblatis, agonem ſibi, & ultimam vitæ ſuæ periodum, in qua omnis beatæ æternitatis cardo verſatur, exorent peroptatam. Menſibus ſingulis, uti & quatuor per anni decurſum Angariis, expiatâ per ſacram exomologeſin conſcientia, & paſti divino epulo, ad horam pomeridianam quartam, in templo magno numero adſunt congregati, ut precibus publicis, variè interpoſitâ harmoniâ muſicâ, & excitati dicentis è Cathedrâ affectibus de meritis & theſauro paſſionis Domini, copioſum ſibi comparent itinerarium ſumptum, ad vitam alteram ingrediendam. Mutuò ſe, & defunctos fratres charitativo juvant precum & ſacrificiorum ſubſidio, unàque ſimul contendunt, ut ſibi & vivis & mortuis abundè fluant dulciſſimi fontes Salvatoris.

Invitamentum operæ ſuæ habent quot Dominicis Calendarum, aliisque non multis feſtorum ſolennitatibus, è piis Eccleſiæ diſtributionibus, & meritorum collectis, uberes gratias, & reatuum remiſsiones, quibus in his continuandis ſtudiis reddantur animoſi, & candidati cœleſtis patriæ, apud Dominum, qui pró ut vult largitur omnibus, fiant gratioſi.

Hæc

Hæc arcta, piaque fraterni amoris conjunctio, quantopere fidem ſuam ad hanc Crucem ſanctam atteſtetur, quotidiana pro exemplo ſunt documenta, hic denſo ordine, accenſis luminibus, proſtrati in genua ſua peragunt ſolemnia: hic ſua cordis exponunt vota, ac intima deſideria: hic ſua congregationis tabulis inſcribunt nomina & hoc ſub vexillo, ſua firma roborant ſignantque Sacramenta. Erat multorum annorum pulvere imago venerabilis obſita, variisque hiabat ex damnoſis translationibus, lacunis: quare ut omni pœdore inveterato exueretur, & legitimi decoris imminutio reſarciretur, argentarii operâ multoque piorum ære ſic reſtituta eſt, ut noviter revixiſſe videatur. Atque ne priſtina poſt hac damna nobile hoc amoris ſymbolum, ex incuriâ huc illuc traducentium incurreret, aræ novæ ex templi latere, ultroneâ fidelium, & S. Crucis amantium copiosâ liberalitate erectæ, fuit impoſitum, ut firmâ ſtatione publicæ veneration i conſiſteret inoffenſum. Sub brachiis habet ex alâ alterâ, agoniam Crucis amantiſsimi Viri, S. Francisci Xaverii, cum Epigraphe ECCE QVOMODO MORITVR IVSTVS! ex altera ejusdem viventis iconem, ad ſalutiferi hujus ſigni cultum fidemque

tùm in vivorum, tùm defunctorum ſubſidium, Indos ſuos animantis, cui inſcriptio ſubdita hæc legitur: BONUM EST EXORARE PRO DEFVNCTIS &c. Ornant Altare columnæ, epiſtilia, baſes, arma paſſionis Dominicæ, Conſtantini Magni & Matris S. Helenæ ſtatuæ, omnia anaglyptico labore abſoluta, quorum pretium ducentos florenos longe exceſſit. Ornant appenſa anathemata, coronæ pretioſæ, numiſmata aurea, aliaque decora, quæ pia munificentia appoſuit, devovitque. Tres lucent in arâ lampades, quarum una, diu noctuque alitur; varia & crebra circumſtant è cera lumina, quæ ne deficiant, conſtans devotio, vere argumentoſa apis, per dies & menſes etiam dotatione perpetuâ, induſtriè collaborat. Quæ omnia cum cultus ſinceri ſint argumenta, &, ſingularis in hanc Crucem ſanctam fervoris teſtimonia, hoc indubiè pronuntiandum erit, pietatis ignes jam pridem ſub cineribus latentes, in animis poſterorum eſſe redivivos. Vnde non immerito R.mus Ser.mus ac Celſiſſimus S.R.I. Princeps, FRANCISCVS EGON, Comes provincialis Alſatiæ & Fürſtenberg, Eccleſiæ Cathedralis Argentinenſis Epiſcopus, ac lumen Illuſtriſſimæ Familiæ S. R. I. Comitum de Heiligenberg & Wertenberg

&c. Cle-

Clementiſſimus Dominus noſter, dum ædem ſacram ac Collegium Societatis, ſuâ præſentiâ & viſitatione ante biennium gratiosè dignaretur, hoc vivæ vocis oraculum protulit; *Nullibi melius hoc Venerabile monumentum, quam in Eccleſia Societatis coli & aſſervari.* Nimirum Crux, ſancti Ignatii & filiorum ejus, prima eſt benedictio, locuples hæreditas, teſſera nominis, cui omnis obſervatio, cultus & amator ab iis debeatur, Gratia Salvatoris faveat & aſpiret, ut per hanc vitæ & ſalutis ſcalam, ad coronam & gloriam æternitatis, feliciter quam plurimi deducantur.

PROTESTATIO.

IVxta decretum VRBANI VIII. Pontif. 13. Martii Anno 1625. editum, & confirmatum 5. Junii 1631. proteſtor obſervantiâ, ac reverentiâ quâ par eſt, me haudalio ſenſu variorum vita ac veritate illuſtrium hominum acta, miracula, referre, accipere, & accipi velle, quam quo ea ſolent, quæ humana duntaxat autoritate, non autem divina Eccleſiæ, aut ſanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur: iis tantummodo exceptis, quos eadem ſancta Sedes, Sanctorum, Beatorum, Martyrum Catalogo adſcripſit. Sicut & cætera ſanctiſſimæ Eccleſiæ judicio ſubmitto.

INDEX

Rerum memorabilium.

A.

Aaron Rex Perſarum & Hieroſyl. Dominus. 58
Aba Conjux Hugonis Principis Burgundiæ. f. 23
ejus virtutes & encomia. ibid.
Pretioſos curat libros, eoſq; Camelo imponit. 62
Viſitat cum marito Monaſt, infer S Ottiliæ 89
Anna de Rodesheim bona ſua donat Monaſt. infer. in honorem S. Crucis. 94
Annus Chronologicus hujus Hiſtoriæ. 83

C.

Carolus Magnus Rex Galliarum. & Imperator. 21
ejus encomia. ibidem.
addictiſſimus Hugoni Principi. 23
Circumventus ab obtrectatoribus, iniquam in Hugonem fert ſententiam. 40
Ejus brachium obrigeſcit. 45
Miſſæ SS. reliquiæ Hieroſolyma. 53
Liberalitas Caroli in Hugonem. 49
Camelus S. Crucis bajulus. 64
cœlitus in viâ dirigitur 67
Comites viæ, habet quinque viros nobiles 65
à Monaſterio infer: non recedit. 77
Cereus jugiter ardens ante S. Crucem 98
Caro circumciſionis Domini. 54
Miſſa Carolo M. Hieroſolymis. 85. 86.

Ab

INDEX

Ab Hugone Cruci argenteæ includitur 62
Collegium Societ. IESV Molshemii 107
prima ejus fundamenta, & dotatio. 108
Congregatio sub titulo Agoniæ Salvatotis Molshemii 118
Ejus pietas & devotio in S. Crucem 119
Crux argentea ab Hugone curatur 59
Ejus descriptio 60
Miraculosè transfertur ad Monast. Infer. S. Ottiliæ. 72
Reparatur ab Edelinda Abbatissa 82
Olim magnus ejus Cultus 88

D.

Donatur templo Societ IESV. 116
Devote ibidem colitur 117
Donationes variæ S. Cruci factæ 93

E.

Edelinda Abbatissa Monast. Infer. 82
S. Eimhildis Monialis ejusdem Monasterii 19
Virgo magnæ sanctitatis ibid.
Sepulta in eodem Monasterio ibid.
Ossa ejus summæ aræ imposita ibid.
Erasmus Episcopus Argent. 115
Interest Concilio Tridentino ibid.
Argentinam reducit exercitium Catholic. ibid.
Elizabeth Wafflerin fundatrix cerei jugiter ardentis ante S. Crucem 98

F.

Franciscus Egon, S. R. I. Comes à Fürstenberg, Celsissimus Princeps & Epis. Argent. 121
Elogium ejus de Cultu S. Crucis in templo Societ. IESV Molshemii 122

G.

S. Gudelinda, Neptis ex Fratre, S. Ottiliæ 13

Est

INDEX.

Est Abbatissa post S. Ottiliam in Monasterio Inferiori ibid.
Virgo singularis sanctitatis ibid.
Ossa ejus aræ summæ imposita ibid. 18
Notabiles ejus reliquiæ in templo Societatis Molshem. ibid.
Item in templo B. Virginis ad Eremum in Helvetia 19

H.

Hugo Burgundiæ Princeps 23
Ejus encomia ibid.
Calumniam patitur in aulâ Caroli 29
A morte miraculosè liberatur 42
Ejus gratitudo & pietas 53. 55

I.

Ioannes IV. S. R. I. Comes à Manderscheid, Russi. & Gerolsheim &c. Cels. Princeps & Epis. Argent. 116
Singulares ejus virtutes ibid. & seq.
Fundat. Collegium Soc. IESV Molshemii 103
Crucem argenteam donat Collegio 116
Erigit schoas Tabernis 107

L.

Lapides terminales agrorum ad S. Naborem signo Crucis notantur 32
Labara item Ecclesiastica ibid.
Leopoldus I. è Sereniſſima Archiducum Austriæ prosapia Epis. Argent. erigit templum magnificum Societ. IESV Molshemii 118

M.

Monasterii Inferioris S. Ottiliæ origo 9
Magna familiæ illius sanctitas 13
Præclara ibidem monumenta 17
Miracula S. Crucis virtute ibidem edita 101

Mo-

INDEX.

Monaſterium bis perit incendio 112
Omnis cultus divinus exulat 113
Devolvitur Monaſterium ad Epiſ. Argent. 115

N.

Ad S. Naborem Camelus cum S. Cruce quieſcit 62
Nobiles viri quinque Cameli in via comites 65
Vitam ſanctè finiunt ad Monaſterium Infer. 90
Oſſa eorum ibidem ſepulta 91

O.

S. Ottilia miræ ſanctitatis 9 & ſeq.
Vivit ſub regula S. Auguſtini 11
Fuit Mater 130 Monialium 10
Erigit Hoſpitale 9
Fundat Monaſterium Inferius 10 & ſeq.
Eſt ejus Abbatiſſa ibid

S.

Sigillum Abbatiſſæ Monaſterii Inferioris 92
Sigillum incolarum ad S. Naborem ib.
Suſanna de Rathſenhauſen Abbatiſ. Monaſterii ib.
Concedit aream pro hoſpitali erigendo 92

T.

Tintinnabulum Camelo appenſum, fuſæ campanæ ad S. Naborem immixtum 103
Illius pulſus avertit tempeſtatum damna 104

V.

Veſtigium Camelus ſuum in petra exprimit 102

W.

Willeburgis Monaſt. Inferioris Abbatiſſa. 97.

FINIS.

Qua tibi occurrunt errata corrige Lector.

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA